Q. SEPTIMI

FLORENTIS TERTVLLIANI

LIBER DE PALLIO.

Cum interpretatione, notisque Criticis & Historicis THEODORI MARCILI Professoris eloquentiæ regij.



PARISIIS,

Apud IOANN. LIBERT, via Diui Ioan. Lateranensis, è regione Auditorij Regij.

Anno salutis CIƆ IƆCXIV.

PVRPVRATO S. R. E. PRINCIPI

DN. DAVY DV PERRON

CARDINALI INLVSTRISS^o. ET Senonum Archiepiscopo Reuerendiss^o. Galliarum ac Germaniæ primati, summoq; FRANCIÆ Eleemosynario.



Loria purpurei PERRONIE *prima senatus,*
Eximia per quem laude galerus ouat,
Pallia quo nemo sanctißimâ dignior vnus
Induit, & Christi gentibus vtilior:
Pallia Septimius quæ texuit, offero vestris,
Vtraque coniungi laudis origo iubet.
Pallia Septimius tenebrosi stamine fili,
Quamlibet artito pectine texuerat:
Hæc ego de præeunte meo dare sidere lucem
Euolui saltim, si minus eualui.
Sed valui, tua si feret hoc sententia: quæque
Scripsi ego, tunc radio didita Solis erunt.

ΤΩι ΕΝΤΥΓΧΑΝΟΝΤΙ.

Πάλλιον ἐξύφηνε καμὼν Τερτυλλιανοῖο
Παίσοφος, ἐν πέπλῳ συσκιόεντι, νόος·
Νῶϊ δὲ Τηβέννης περὶ πορφυρέας, διεπούσης
Ἄστυ Ῥέμου, σίλβει τερπνοφαεννύτερον.

IDEM.

TERTVLLIANI mens manusq; pallium
Artita, pullo intexuit libri peplo.
At nunc togis Romæ potentibus, suæ
Exordioq; purpuræ micantibus,
Lucis nouæ iucunditate prænitet.

EODEM πρόβλημα.

IN Eloquentiæ supremo constitit
Gradu Latinæ TVLLIVS, TER-TVLLIVS
Quis ergo iure nuncuparier potest?
Et nuspiam, si floruit TERTVLLIVS,
TERTVLLIANVS esse quis FLORENS potest?
Sed TVLLIANVS, inquies, non exstitit
Nemo prius; sic ergo nunc dici potest
TERTVLLIANVS quispiam; nec abnuo.
TER namq; TVLLIANVS hic FLORENS cluet,
Argutijs, minus si prænalet stilo.



Q. SEPTIMII FLORENTIS *Tertulliani liber de Pallio.*

CAPVT I.

PRINCIPES ſemper Africæ, viri Carthaginienſes, vetuſtate nobiles, nouitate felices: gaudeo vos tam proſperos temporũ, cum ita vacat ac iuuat, habitus denotare pacis: hæc & annona & ocia ab imperio & à cœlo. Bene eſt, tamen & vobis habitus aliter olim tunicæ fuêre, & quidem in fama de ſubteminis ſtudio, & luminis conſilio, & menſuræ temperamento, quòd neque trans crura prodigè, nec intra genua inuerecundè, nec brachijs parcè, nec manibus arctè, ſed nec cingulo ſinus diuidente, expedita atq; quadrata, inſtità. In viris autem, pallij extrinſecus habitus. & ipſe quadrangulus, ab vtroque laterum regeſtus, & ceruicibus circunſtrictus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat: inſtar eius hodie Æſculapio

iam veſtro ſacerdotium eſt. Sic in proxir
ſoror ciuitas veſtiebat, & ſicubi alibi in
frica Tyros: at cum ſecularium ſortium d
mina Fortuna, & Romanis Deus malu
ſoror quidem ciuitas, ſuopte arbitrio m
tare properauit, vt adpulſum Scipion
antè iam de habitu ſalutaret Romana pr
coqua. Vobis verò poſt iniuriæ bene
cium, vt ſenium non faſtidium exempt
poſt Gracchi obſcœna omina: & Lep
violenta ludibria: poſt trinas Pompeij ar
& longas Cæſaris moras: vbi mœnia Sta
lius Taurus impoſuit: ſolennia Sentius S
turninus enarrauit: cùm concordia iuu
toga oblata eſt: Prò! quantum circu
meauit, à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis
Romanos, vt ab humeris ſublimioris p
puli Carthaginienſes complecteretur. E
inde tunicam longiorem, cinctu arbitra
te, ſuſpenditis, & pallij iam teretis redu
dantiam, tabulata congregatione fulcit
& ſi quid præterea conditio vel dignit
vel temporalitas veſtit. Pallium tamen g
neraliter veſtrum, immemores etiam c
notatis: equidem haud miror præ doc
mento ſuperiore. Nam & arietem (n
quem Laberius reciprocicornem, & la
cutem & teſtitrahum, ſed trabes machi

est, quę muros frangere militat) nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago, *studijs asperrima belli*, prima omnium armasse in oscillum penduli impetus: commentata vim tormenti, de bile pecoris capite vindicantis. Cùm tamen vltimarent tempora patriæ, & aries iam Romanus in muros quondam suos auderet, stupuere illico Carthaginiẽses, vt nouum extraneum ingenium.

Tantum æui longinqua valet mutare vetustas. Sic denique nec pallium agnoscitur.

CAPVT II.

Sit nunc aliunde res: ne Pœnicum inter Romanos aut erubescat, aut doleat, certè habitum vertere, naturæ totius solemne munus est: fungitur & ipse mundus interim iste, quem incumbimus: viderit Anaximander si plures putat: viderit si quis vsquam alius ad Meropas, vt Silenus penes aures Midæ blattit, aptas sanè grandioribus fabulis. Sed &, ipse quem Plato æstimat, cuius imago hic sit, etiam ille habeat necesse est, proinde mutare: quippe si mundus, ex diuersis substantijs officiísque conflabit, ad formam eius quòd mundus hic

est: neque enim mundus, si non vt mun-
dus. Proinde diuersa in vnum ex demuta-
tione diuersa sunt: denique diuersitatis di-
cordiam vices fœderant: ita mutando er
mundus omnis, qui ex diuersitatibus cor-
poratus, & vicibus temperatus. Nostra ce-
tè metatio (quod clausis vel in totum Ho-
mericis oculis liquet,) totùm versiform
est: dies & nox inuicem vertunt: sol stitio-
nibus annuis, luna modulationibus men-
struis variat: siderum distincta confusio in-
terdum deijcit quid, interdum resuscita
cœli ambitus nunc sub diuo splendidus
nunc nubilo sordidus: aut imbres ruunt,
si qua missilia cum imbribus: dehinc sul
stillum, & denuo ludum. Sic & mari fid
infamis dum & flabris ęquè mutantibus,
tranquillo probum, de flustris temperati
& extemplo de decumanis inquietat. S
& terram si recenseas temperatim vestiri
mantem, prope sis eandem negare, mem
viridem cum conspicis flauam, mox visu
rus & canam. Ceteri quoque eius ornatu
quid non aliud ex alio mutant? montiu
scopulæ decurrēdo, & fontium venæ ebu
lando, & fluminum vię obumbrando? Mu
tauit & totus orbis aliquando, aquis omn
bus obsitus: adhuc maris conchæ & bu

cinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse sed & enatando, rursus infima mutauit, rursus orbis alius: Idem mutat & nunc localiter habitus, cum situs læditur, cum inter insulas nulla iam Delos, harenæ Samos: & sibylle non mendax, Æon in Atlantico Lybiam aut Asiam adæquans quæritur nunc. Italiæ quondam latus, (Hadria Thyrrenóque quassantibus) medio tenus interceptum, reliquias Siciliam facit: cum tota illa plaga discidij, contentiosos æquorum coitus angustiis retorquens nomen vitij mari induit, non expuentis naufragia, sed deuorantis. Patitur & continens de cælo aut de suo: adspice ad Palæstinam quà Iordanis amnis finium arbiter, vastitas ingens, & orba regio, & frustra ager, & vrbes retro, & populi frequentes, & solus audiebat: dehinc vt Deus censor esset, impietas ignium meruit imbres: hactenus Sodoma, & nulla Gomorra, & cinis omnia, & propinquitas maris iuxtà, cum solo mortem bibit. Ex huiuscemodi nubilo & Tuscia Vulsinios pristinos deusta: quo magis de montibus suis Campania speret erepta Pompeios. Sed absit: vtinam & Asia secura iam sit de soli ingluuie: vtinam & Africa semel vora-

ginem pauerit, vnicis castris fraudatis ex piata. Multa & alia huiusmodi detrimenta habitum orbis mutauêre, situsque mouêre. Bellis quoq; plurimum licuit: sed piget tristia non minùs quàm regnorum vices recensere, quotiens & ista mutauerint iam inde à Nino Beli progenie (si tamen Ninus regnauit primus, vt autumat superiorũ prosanitas, fermè apud vos vltra stilus non solet) ab Assyriis si fortè æui historiæ patescunt: qui verò diuinas lectitamus, ab ipsius mundi natalibus compotes sumus. Sed læta iam malo, quippe & læta mutant. Denique si quid mare diluit, cœlum texit, terra subduxit, gladius detotondit, aliàs versura compensato redit. Iam & primitiis, maiore ambitu terra cassa, & vacans hominum, & sicubi aliqua gens occuparat, sibimet soli erat. Itaq; cogitans omnia sibi domum, intelligens alibi stipantem copiam, alibi deserentem, runcare atque ruspare consuluit: vt inde velut ex surculis & propaginibus, populi de populis, vrbes de vrbibus per vbique orbis pangerentur. Transuolauêre redundantiũ gentium examina: Scythæ exuberant Persas: Phœnices in Africam eructant: Romanos Phryges pariunt: Chaldæum semen in Ægyptum educatur;

dehinc cum inde transducitur, Iudæa gens est. Sic & Herculea posteritas, qui Temeno pariter Peloponnesum occupando producunt: sic & Iones Nilei comites, Asiam nouis vrbibus instruunt: sic & Corinthij cum Archia muniunt Syracusas. Sed vanum iam antiquitas, quando curricula nostra coram: quantùm reformauit orbis seculum istud? quantùm vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis Imperij triplex virtus? Deo tot Augustis in vnũ fauente: quot census transcripti? quot populi propaginati? quot ordines illustrati? quot barbari exclusi? Reuera orbis cultissimum huius imperij rus est, eradicato omni aconito hostilitatis, & cato & rubo subdolæ familiaritatis, consitum & amœnum super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum. Laudans igitur orbem mutantem, quid denotas hominem?

CAPVT III.

MVtant & bestiæ pro veste formam, quanquam & pauo pluma vestis, & quidem de cataclitis: imò omni conchylio depressior, quâ colla florent: & omni patagio inauratior, quâ terga fulgent: & omni

ſyrmate ſolutior, quã caudæ iacent: mu
color, & diſcolor, & verſicolor, quâ, nu
quam ipſa, ſemper alia, etſi ſemper ipſa qu
do alia, totiens denique mutanda quotie
mouenda. Nominandus eſt & ſerpens,
cet ponè pauum: nam & iſte quod ſorti
eſt, conuertit corium & æuum: ſi quid
vt ſenium perſenſit, in anguſtias ſtipat,
riterque ſpecum ingrediens, & cute eg
diens, ab ipſo ſtatim limine eraſus, exu
ibidem relictis nouus explicat, cum ſqua
mis & anni recuſantur. Hyænam ſi obſ
ues, ſexus annalis eſt, marem & fœminam
ternat. Taceo ceruum quod & ipſe æta
ſuæ arbiter, ſerpente paſtus, veneno la
gueſcit in iuuentutem. Eſt & quadrup
tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, teſ
dinem Pacuuianam putas, non eſt. capi
alia beſtiola verſiculum, de mediocrib
oppido, ſed nomen grande, chamæleo
tem qui audieris, haud antè gnarus, ia
timebis aliquid cum leone: at cum offen
ris apud vineam ferme ſub pampino totu
ridebis illico audaciam & Græci iam non
nis: quippe nec ſuccus eſt corpori, qui n
nutioribus multo licet. Chamæleon pe
cula viuit, capitulum ſtatim à dorſo, n
deficit ceruix, itaque durum reflecti: ſed c
cumſpe

cumſpectu emiſſitij ocelli, imo luminis puncta vertiginant: hebes, feſſus vix à terra ſuſpendit, molitur inceſſum ſtupens & promouet, gradum magis demonſtrat quàm explicat, ieiunus ſcilicet ſemper & indefeſſus: oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & chamæleon mutare totus, nec aliud valet: nam cum illi colorisproprietas vna ſit, vt quid acceſſit inde ſuffunditur: hoc ſoli chamæleonti datum, quod vulgò dictum eſt, *de corio ſuo ludere.* Multa dicendum fuit, vt ad hominem præſtructum perueniretur: hunc quoquo primordio accipitis, nudus certè & inueſtis figulo ſuo conſtitit, poſt demum ſapientiam haud dum licitam, præreptam potitur: ibidem (quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere feſtinans) ficulneis folijs interim circũdat. Dehinc cum de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur: ſed arcana iſta nec omnium noſſe. Cedo iam de veſtro, quod Ægyptij narrant, & Alexander digerit, & Afer legit, ea tempeſtate Oſiridis quâ ad illum ex Lybia Ammon vaſit ouium diues: denique cum ipſis Mercurium autumãt fortè palpati arietis mollitie delectatum, diglubaſſe ouiculam: dumque

pertentat quod facilitas materiæ ſuadeba
tractu proſequente filum eliquaſſe, & ſ
veſtis priſtinæ modum, quam philyra ten
vinxerat, texuiſſe. Sed vos omnem lanit
diſpenſationem, ſtructuramque telarui
Mineruæ maluiſtis, cum penes Arachnei
diligentior officina. Exinde materia, necc
ouibus dico Mileſijs, & Selgicis, & Alt
nis, aut queis Tarentum vel Betica cluc
natura colorante, ſed quoniam & arbuſt
veſtiunt, & lini herbida poſt virorem lau
cro niueſcunt: nec fuit ſatis tunicam par
gere & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum cor
tigiſſet: nam & de mari vellera, quæ muſcc
ſæ lanoſitatis lautiores conchæ coman
prorſus haud latet bombycem (vermicu
genus eſt) quæ per aerem aliquando ar
neorum more ſcopis idoniùs diſtendit, d
hinc deuorat, mox atquè reddere, proinc
ſi necaueris, animata iam ſtamina voluc
Tãtam igitur paraturarum materiarũ ing
nia quoque veſtificinæ proſecuta (primù
tegendo homini, quâ neceſſitas præceſſ
dehinc & ornando, imò & inflando, qu
ambitio ſucceſſit) varias indumentoru
formas promulgauêre: quarum pars gen
litùs inhabitantur, cæteris incommune
pars verò paſſiuitùs omnibus vtiles, vt ho

pallium, etsi Græcum magis, sed linguâ iam penes Latium est, cum voce vestis intrauit: atque adeo ipse qui Græcos pellendos vrbe censebat (literas eorum vocemque senex iam eruditus) idem Cato, iuridicinæ suæ in tempore humerum exertus, haud minus palliato habitu Græcis fauit.

CAPVT IV.

QVid nunc si est Romanitas omnis alia, vestis nec tamen, admodum Græci estis, at non ita est? vnde gentium in prouincijs melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodauit, studia palæstræ malè senescentia, & callum laborantia, & lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida saginatio? vnde apud aliquos Numidas, etiam equis cæsariatos, iuxta cutem tonsor, & cultri vertex solus immunis? vnde apud hirtos & hirsutos tam rapax ab ala resina, tam furax à mento volsella? Prodigium est hęc sine pallio fieri: illius est hæc tota res Asiæ. Quid tibi Libya & Europa cum exoticis mundicijs, quas vestire non nosti? Reuera enim quale est Græcatim depalari magis quàm amiciri? habitum transferre, ita demum cultus probrum est, si non

consuetudo, sed natura mutetur: sat refert inter honorem temporis, & religionē Dei: consuetudo fidem tempori, natura Deo. Naturam itaque concussit Larissæus heros in virginem mutando: ille ferarum medullis educatus (vnde & nominis consilium, quandoquidem labijs vacuerat ab vberum gustu) ille apud rupicem, & siluicolam, & monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus. Feras in puero matris sollicitudinē: patiens certè iam vstriculas, certè iam virum alicuius clanculò funĉtus, adhuc sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculū consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus, quod illi apud Sigæum statua seruat. Planè postea miles est. necessitas enim reddidit sexum, de prælio sonuerat, nec arma longè:

Ipsum, inquit, ferrum virum attrahit.

Cæterum si post incentiuum quoque puella perseuerasset, potuit & nubere: ecce itaque mutatio, mōstrum equidem geminum: de viro fœmina mox de fœmina vir, quando neque veritas negari debuisset, neque fallacia confiteri: vterque habitus mutandi malus, alter aduersus naturam, alter contra salutem. Turpius adhuc libido virum cultu transfigurauit, quàm aliqua materna for-

nido, tametsi adoratur à vobis qui erubescendus est, Sytalo fagitti-pelliger ille, qui totam epitheti sui sorte cum muliebri cultu compensauit: tantùm Lydiæ clanculariæ licuit, vt Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur. Vbi Diomedes & cruenta præsepia? vbi Busiris & bustuaria altaria? vbi Geryon ter vnus? cerebris adhuc eorum, claua fœtere malebat, cum vnguentis offenderetur. Vetus iam hydræ, Centaurorumque sanguis in sagittis, pumice speculi excludebatur, insultante luxuria, vt post mõstra transfixa coronã forsitan fuerent. Ne sobriæ mulieris quidẽ, aut virginis alicuius scapulę sub exuuias bestię tantę introire potuissent, nisi diu mollitas & euigoratas, & exodoratas, quod apud Omphalẽ balsamo aut telino spero factum. Credo & iubas pectinem passas, ne ceruicem eneruem inureret stiria leonina. hiatus crinibus infarsos, genuinos inter antias adumbratos: totã oris contumeliã mugiret si posset Nemæa certè: si quis loci Genius ingemebat, tunc enim se circumspexit leonem perdidisse. Qualis ille Hercules in serico Omphales fuerit, iam Omphale in Herculis scorto designata descripsit. Sed & qui arte Tyrinthium accesserat

pugil Cleomachus (post Olympia cum in-
credibili mutatu de masculo flexisset, intc
cutem cæsus & vltra, inter fullones ia
Nouianos coronandus: meritóq; mim
grapho Lentulo in Catinensibus comm
moratus) vtique sicut vestigia cæstuum v
ria occupauit; ita & endromidis soloce
aliqua multicia synthesi extrusit. Physc
nem & Sardanapalum tacendum est, q
nisi insignes libidinum, aliàs reges nun
nosset: tacendum autem ne quid & illi
Cæsaribus quibusdam vestris obmussiter
propudiosis: nec magnę fortè constant
mandatum sit, impuriorē Physcone, mo
liorem Sardanapalo Cæsarem designar
& quidem sub Nerone. Nec tepidior v
vanæ quoque gloriæ, mutandis indubi
etiam vero saluo. Calor est omnis affectu
verùm cum in affectationem flabellatu
iam de incendio gloriæ ardor est. Hab
igitur ex isto fomite æstuantem magnu
regem, sola gloria minorem: vicerat M
dicam gentem, & victus est Medica ves
triumphalem cataphractam amolitus,
captiua sarabara decessit: pectus squamm
rum signaculis disculptum, textu pelluci
tegendo, nudauit: anhelum adhuc ab op
re belli, & vt molliùs ventilante serico

tinxit. Non erat ſatis animi tumens Macedo, niſi illum etiam veſtis inflatior delectaſſet: niſi quòd & philophi puto ipſi, aliquid eiuſmodi adfectant, audio enim & in purpura philoſophatū: ſi philoſophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calciare? niſi aurum minimè Grecatos decet: atquin alius & ſericatus, & crepidam æratus inceſſit: dignè quidem, vt bacchantibus indumentis aliquid ſubtinniret, cymbalo inceſſit. Quod ſi iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus (vt tori Platonici ſciunt) ſed omnino totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detuliſſet: vt qui ſe cœlitem delirarat, ſorores priùs ſuas, dehinc homines deas ſalutaret. Tales igitur habitus, qui de natura & modeſtia transferunt, & acie figere, & digito deſtinare, & nutu tradere meritò ſit. Prorſus ſi quis Mæandrico fluxu delicatam veſtē humi protrahat, audiat ponè ſe quod & Comicus. Qualem demens iſte chlamydem diſperdit? Enimuero iamdudum cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, quantùm denotatui paſſiuitas offert? libertinos in equeſtribus, ſubuerbuſtos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, ſcurras in forenſibus, paganos in

militaribus: vespillo, leno, lanista, tec
vestiuntur. Conuerte & ad fœminas, hal
spectare quod Cecina Seuerus grauiter
natui impressit: matrona sine stola in p
blico! denique in Lentuli Auguris cons
tis, quæ ita sese exauctorasset, pro stup
erat pœna: quoniam quidem indices c
stodésque dignitatis habitus, vt lenoci
factitandi impedimenta, sedulò quæd
desuefecerant. At nunc in semetipsas len
cinando, quò planiùs adeantur, & stol
& supparum, & crepidulum, & calliand
ipsas quoque iam lecticas, & sellas queis
publico quoque domesticè ac secretè
bebantur, eierauêre: sed alius extinguit
lumina, alius non sua accendit. Aspice
pas, popularium libidinum nundinas: ip
quoq; frictrices (& si præstat oculos ab
cere ab eiusmodi propudijs, occisæ in p
blico castitatis) aspice tamen vel sublim
iam matronas videbis, & cum latrinai
antistes sericum ventilat, & immundior
loco ceruicem monilibus consolatur, &
millas quas ex virorum fortium donis, i
quoque matronæ temerè vsurpassent, c
nium pudendorum conscias manus in
rit, impuro cruri, purum aut mulleolum
ducit calceum. Cur istas non spectas?
i

illos item habitus, qui nouitate veſtitus religionem mentiuntur? cum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & priuilegiũ galeri, Cereri initiantur? cum ob diuerſam affectionem tenebricæ veſtis, & tetrici ſuper caput velleris, in Bellonæ montes fugantur? cum lationis purpuræ ambitio, & Galatici ruboris ſuperiectio, Saturnum commendat? cum ipſum hoc pallium moroſiùs ordinatum, & crepidæ Græcatæ, Græcatim Æſculapio adulantur? Quantò tunc magis arguas illud! & vrges oculis etiam ſimplicis & inaffectatæ tamen, ſuperſtitionis reum. Enimuerò cum hanc primum ſapientiam veſtit, quæ vaniſſimis ſuperſtitionibus renuit, tunc certiſſimè pallium ſuper omnes exuuias, & peplos auguſta veſtis, ſuperque omnes apices & titulos, facer ſuggeſtus deducit oculos: ſuadeo reuerere habitum vnius interim erroris tui renunciatorem.

CAPVT V.

TAmen, inquis, ita à toga ad pallium? quid enim ſi à diademate & à ſceptro? an aliter mutauit Anacharſis, cùm regno Scythiæ philoſophiam præuertit? nulla in

in eius transgressus sint signa, est habitus iste quod faciat, prius etiam ad simplicem specta telam eius: nullo tædio constat, adeò nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias totúmque contracti vmbonis figmentum, custodibus forcipibus adsignet; dehinc diluculò tunica prius cingulo correpta (quā præstabat moderatiorem texuisse) recognito rursus vmbone, & si quid exorbitauit reformato, partem quidem de læuo promittat: ambitum verò eius, ex quo sinus nascitur, iam deficientibus tabulis, retrahat à scapulis, & exclusa dextera, in læuam adhuc congerat cum alio pari tabulato in tergo deuoto, atque ita hominem sarcina vestiat. Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te priùs in toga sentias, indutum, anne onustum? habere vestem, an bajulare? si negabis, domum consequar, videbo quid statim à limine properes: nullius profectò alterius indumenti expositio, quàm togæ gratulatur: calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundissimam pedum tutelam, verùm & falsam: quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vncipedem, magnum incessui munimen-

tum sutrinæ Veneriæ prospexêre, perones effœminatos. At enim pallio nihil expeditius, etiamsi duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur: quippe tota molitio eius operire est solutim, id est, vno circumiectu, licet equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit: humerum velans exponit, vel includit, cætero quâ in humerum adhæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facilè sese regit, facilè reficit: etiam cum reponitur, nulli cippo in crastinum demandatur. Si quid interulæ superest, vacat zonæ tormentum: si quid calceatus inducitur, mundissimum opus est, aut pedes nudi magis, certè viriles magis quàm in calceis. Hæc pro pallio interim, quantum nomine concitasti: iam verò & de negotio prouocat: Ego, inquit, nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nihil officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, non iudico, non milito, non regno, secessi de populo: imò vnicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem: vitâ meliore magis in secessu fruare,

quam in promptu, sed ignaua infamiq; scilicet patriæ, & imperio, reique publicæ viuendum est: errat olim ista sententia: nemo alij nascitur, moriturus sibi, Certe cùm ad Epicuros & Zenonas ventum est, sapientes vocas totum quietis magisterium, qui eam summæ atq; vnicæ voluptatis nomine conseruauêre. Tamen propemodũ mihi quoq; licebit in publicum prodesse, soleo de qualibet margine vel ara, medicinas moribus dicere, quæ felicius publicis rebus, & ciuitatibus, & imperijs, bonas valetudines conferent, quam tuæ operæ. Quippe si pergam ad acuta tecum, PLVS TOGÆ lęsêre rempublicam, quàm loricæ. Atquin nullis vitijs adulor, nullis veternis parco, nulli impetigini adulor, adigo cauterem ambitioni, quâ M. Tullius quigẽtis millibus nummûm orbem citri emit, quâ bis tantùm Asinius Gallus, pro mensa eiusdem Mauritanię, numerat: hem! quantis facultatibus æstimauere ligneas maculas! Item quâ lances centenarij ponderis Sylla molitur: vereor sanè ne parua sit ista trutina, cum Drusillanus, & & quidem seruus Claudij, quingenariam promulsidem ædificat, supra scriptis fortasse mensis necessariam: cui si officina extructa est, debuit & triclinium. Immergo æquè

ſcalpellum acerbitati ei, quâ Vedius Pollio, ſeruos murenis inuadēdos obiectabat: noua ſcilicet ſæuitia delectatio terrenæ beſtiæ, & edētulæ & exūguis, & excornis: de piſcibus placuit feras cogere, vtique ſtatim coquendis, vt in viſceribus earum, aliquid de ſeruorum ſuorum corporibus & ipſe guſtaret. Præcidam gulam, quâ Hortenſius orator, primus pauum cibi cauſſa potuit occidere: quâ Aufidius lurco, primus ſaginâ corpora vitiauit, & coactis alimentis in adulterinum prouexit ſaporem: quâ Aſinius Celer, mulli vnius obſonium VI. M. HS. detulit: quâ Æſopus hiſtrio, ex auibus eiuſdem pretioſitatis, vt canoris & loquacibus quibuſque, ſexcentûm millium patinam confiſcauit, filius eius poſt tale pulpamentum potuit ſumptuoſius eſurire: margarita nanque vel ipſo nomine precioſa, dehauſit, credo ne mendiciùs patrę cœnaſſet. Taceo Nerones & Apicios & Rufos: dabo catharticum impuritati Scauri, & aleæ Curij, & vinolentiæ Antonij. Et memento iſtos interim, ex multis togatos fuiſſe, quales apud pallium haud facilè.

Has purulentias ciuitatis, quis eliciet & exuaporabit, ni ſermo palliatus? Sermone, inquit, me ſuaſiſti, medicamine ſapientiſſi-

mo. Verum etsi eloquium quiescat aut ir
fantiâ subductum, aut verecūdiâ retentun
(nam & clinguis philosophia, vitâ conter
ta est) ipse habitus sonat: sic denique aud
tur philosophus dum videtur. De occurs
meo vitia suffundo: quis non æmulum su
cùm videt, patitur? quis oculis in eum po
test, in quem mentibus non potest? grand
pallij beneficium est, sub cuius recogitatu
improbi mores vel erubescunt! Vider
nunc philosophia quid prosit: nec enim so
la mecum est, habeo & alias artes in publ
co vtiles: de meo vestiuntur & primus in
formator literarum, & primus edomato
vocis, & primus numerorum harenariu
& Grammaticus, & Rhetor, & Sophist
& Medicus, & Poëta, & qui Musicam pul
sat, & qui stellarem coniectat, & qui vol
ticam spectat: omnis liberalitas studiorur
quatuor meis āgulis tegitur: planè post Ro
manos equites, verum & cerdones & om
nis gladiatorū ignominia togata produc
tur. Hæc nimirum indignitas erit à toga a
pallium. Sed ista pallium loquitur. At eg
iam illi etiam diuinæ sectæ ac disciplinæ cō
mercium confero: gaude pallium & exulta
melior iam te philosophia dignata est, e
quo Christianum vestire cœpisti.

FINIS,

OMISSA.

P. 3. verſ. 26. poſt verbum, *prouinciæ*, ſubiungo ſic C. Taciti Annali iv. *Procos. eius anni P. Dolabella*, id eſt, Procos. Africæ.

P. 33. verſ. 22. verbo illi, *& mundi qui trans ipſum ſunt*, ſubiicio. Tangit verò commentitiam illam Theopompi Meropidem, etiam Geographus lib. vij.

P. 35. verſ. 18. poſt illud *proinde &c.* adiungo. *Diuerſa verò in vnum* qualis Horatij epiſt. xii. *rerum concordia diſcors*, M. Manilij lib. 1. *concordia diſcors* Ouidij lib. 1. Fabular. --- *diſcors concordia*. Et Heracliti, quod Apuleius profert libro De mundo συνᾷδον καὶ διᾷδον. Lactantius c. x. lib. ii. *Diſcordi concordia mundum conſtare*.

P. eadem verſ. 21. poſt illud, *ſi non denique &c.* interpono.

Ita mutando erit mundus omnis.

Sic omnis mundus, ſiue noſter hic, ſiue Platonicus, ſiue quis alius, eo ipſo dictus eſt mundus quia mutatur adſiduè, ſiue *mundus*, quaſi *mouendus*. De quo Iſidorus c. xxiix. lib. iii c. i. lib. xiii.

P. 38. verſ. 26. illis verbis, *fieri dubijs & turbatis* adſcribo. Si quis autem flauo etiam auctumnum colori vindicet, quoniam æſtate ſegetes flaueſcunt, auctumno etiam comæ arborum. dixerit ſanè is aliquid, ſed nihilominus non erunt colores quatuor, vt quatuor tempora.

P. 46. verſ. 7. poſt verba illa, & omnia cinis &c
intorpono.

Et propinquitas maris.

Et propinquitas maris, inquit, iuxta eum ſolo morte[m]
bibit &c. Quo pacto id verè dicitur, cum certa re[s]
ſit, vbi Sodoma & Gomorra fuerat, ibi exſtitiſ[ſe]
mare mortuũ? Non ergo maris propinquitas ſiu[e]
mare vicinum mortem bibit, ſed ſolum morten[m]
bibit, & factum eſt mare mortuum. Dixerim tur[]
bari à Tertulliano aliquid, & paludem Sirboni[]
dem quæ inter Ægyptum & Palæſtinam, & vicin[]
Peluſio cum mari mortuo vt rẽ eandẽ accipi. Que[]
madmodũ etiã Geographus hæc turbauit lib. xvi[]
Verum diſtare alij omnes tradunt Geographi, at[]
que ſic res eſt. Mare mortuum autem θάλασσα ν[]
κρά Pauſaniæ Eliacis prioribus. Et Iuſtini fine li[]
bri xxxvi. *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitu*[]
dinem & aquæ immobilitatem mortuum mare dicitur
&c. Apponunt aliqui ex mala M. SS. lectionem
Non longè eſt lacus Aſphaltices &c. Cenſent à Iuſtin[o]
quemadmodum à Geographo accipi pro eodem
Alphalticen & Sirbonidem lacum. Sed hoc mini[]
mè quidem ſic Iuſtinus voluit. Cenſet itaque Se[]
ptimius noſter lacum Sirbonidis ante vixiſſe, vi[]
cinitate Pentapoleos mortẽ bibiſſe. Eadem quo[]
que illud mente dixit paullò ſuperius, *& orba ha*[]
bitoribus regio, quaſi ſuperfuerit ſolum ibi ſed ſteri[]
le & incultum. At enim vt dixi, mare ibi mor[]
tuum.

P. 49. verſ. 9. poſt illud, *Diluuium, inundatio* in[]
terpono.

Nam [...]

Nam & primitùs.

Alij libri. *Iam & primitiis*. Scripsisse Tertullianum scilicet. *Nam & primitiis &c.* & primitias intelligi voluisse mundi primordium.

P.52.vers.9.post illud, nunc operę non est, insero.

Quot populi propaginati.

Vt deducendis colonijs. Et moneo ibi turbatum esse notationum ordinem. Primam esse debere. *Quot census transcripti*. ii. *Quot populi &c.* iii. *Quot ordines*. iv. *Quot barbari.*

P. eadem vers. 25. ad verbum, *comitatúmque omnem &c.* adiungo. Neque dissimiliter de Vespasiano C. Suetonius c. ix. Alij de alijs.

P.57.vers.23.illi verbo, siue audaciā Græcā nominis, adiungo. Libri autem aliqui habent, *audaciam & Græci iam nominis &c.* Quæ lectio disconueniēs non est, vt dixerit Septimius, ridebis non modo bestiolam ipsam, sed & iam, siue sed etiam audaciam Græci nominis, qua audacia leonis nomen huic bestiolæ inditum. *audaciam & Græci iam nominis*, Tertullianicè, pro, *audaciam etiam Græci nominis.*

P. 65. vers. vlt. post verbum distinguit, adiungo. Byssum dixi genere virili vt visus Aristoteles vsurpare c. xv. lib. v. Histor. animal. Sed vsitatius est, hæc Byssus.

P. 72. vers. 25. post verbum, agriculturione, addo, & cultu vitæ ciuili.

P. 77. vers. 23. *matris solicitudinem pati: en certè*. His verbis subiungo. Sed verior lectio est. *Feras in puero, matris solicitudinem patiens, certè iam &c.* Atticè, *patiens feras*, pro, patienter &c.

P. 78. verſ. 3. Dixi ad Valerij Martial. epigram. lxxiix. lib. 1. His verbis adiungo. Sed propenſius etiam ad veritatem, Septimij ſtilo fuiſſe, *iam hirquitallus &c.* De quo Feſtus & Gloſſæ.

P. eadē verſ. 24. poſt illud, Hyginus c.xcvi. inſero.

De prælio ſonuerat.

Vlyxes *cantare iuſſerat tubicinem* ſuum, *armorumque crepitum, & clamorem fieri.* Hyginus inibi.

P. 80. verſ. 6. poſt illud, Ciceronis Timęo. inſero.

Niſi diu mollitas & enigoratas.

Forte an melius, & *erigoratas*, ſolutas à rigore.

P. eadem verſ. 11. verbo illi, *credit populum oblitum* ſubijcio. Habent autem libri veteres, *aut pellino &c.* ex quo fecêre *aut telino &c.* Sed forte an à ſtilo Septimij fuit, *aut phyllino &c.* vt phyllinum ſit *foliatum*, de quo Martialis epigr. xxiix. lib. xi. Idémque Dioſcoridi, *Malabathrinum.* Alijs etiam *malabathrum*, quaſi, Malabaricum quia ex Indiæ regione Malabarica eſt. Alijs etiam μαλοβάθρου φύλλον, & Ινδικὸν φύλλον, & abſolutè φύλλον. Nec vero vnguentum *telinum* ſed *foliatum*, ad delicias ſummum fuiſſe, nota res triuijs Plinius vero etiam nardinum, foliatum vocauit c.i. lib. xiii. ſed minus propriè. Galenus quidem Therapeut. lib. xii. vnguenta σπικάτα καὶ φυλιάτα, *ſpicata & foliata*, inuenta eſſe ait, ὑπὸ τῆς ἐν Ῥώμῃ τρυφῆς. *Romæ ob delicias*, itaque *& nomina eis Romana eſſe.*

P. 83. verſ. 23. poſt verbum, ἐπιφώνησις, ſequetur, Pendet periodus à principio illo. *Sed & qualis qui ante &c.* Neque tamen, ſi quis ex illo, *vtique*, ſuſpenſam velit, multum reſtitero.

P. 88. verſ. 22. poſt illud, quàm paraſitum aulicum, adiungo. Dixeris, Hippias & Gorgias non tam philoſophi quàm Sophiſtæ. Sanè. Sed vt Philoſtratus in Sophiſtis ſuis monet, *Sophiſtica* vetus, nihil aliud, quam ῥητορικὴ φιλοσοφοῦσα.

P. 90. verſ. vltimo poſt verbum *inceſſit* ſubiungo. Magis tamen Tertullianica eſt, repetitio verbi inceſſit. *Et crepidam aratus inceſſit.* Deinde quaſi *ἀξιωμα*, *dignè inceſſit.*

P. 91. verſ. illi verbo, *interea loci*, adiungo. Eſt verò *iam tunc locorum*, eo tempore & loco.

P. 94. verſ. 10. poſt illud, πάσαι τι χαίρειν, adiungo. Legendum autem, *ſalutaret?* interrogatoriè.

P. 95. verſ. 14. poſt illud, in oculos compingere, adiungo. Sed ſimplicior etiam & planior vulgaris lectio illa. *Enimuero iamdudum cenſoriæ intentionis epiſcynio diſperſo, quantū denotatui paſſiuitas offert? &c.*

P. 97. verſ. 3. verbo illi, hi ad cauſarum actiones, adiungo. Illud autem, *tetum veſtiuntur*, eſt, æquè ac tu, alijque ciues, togati ſunt.

Pag. 100. verſ. 16. verbo illi, plebi interpretum, adiungo. Melius autem libri aliqui. *Et cum latrinarum &c.* & matronas videbis, cùm &c.

P. 103. verſ. 9. vbi eſt, & de vitta intelligi velit, adpono. Atque ſic etiam libri plerique antiquiores.

P. 104. verſ. 7. verbo illi, ad Eclogam x. ſubiungo, vel tunica latiſſimè clauata.

P. 106. verſ. 14. illi verbo, & ſacris & profanis, ſubiungo. Melius vero fuerit, *cum hanc primum ſapientiam &c.* quàm vulgò eſt, *cum hanc primùm &c.* *Primam* intellige præcipuam, maximam. Seruius ad Æneid. 11. & XII.

P. 119. verſ. 25. poſt illud, *Cancellare, & Cancellarius* interpono.

Imo vnicum negotium mihi eſt.

Puto excidit vox, *otium*, fuiſſe manu Septimij, *imo, otium, vnicum mihi negotium eſt &c.* Itaque ſequitur *nec aliud nunc curo quàm ne curem &c.*

COMMISSA.

P. 3. verſ. vlt. περιτοφαεννύ περον lege περιτοφαεννότερ… *P.* 16. verſ. 3 æque, lege, eæque. *P.* 19. verſ. 24. *in fibulæ*, lege *infibulæ*. *P.* 21. verſ. 7. *ambo*, lege, *ambæ.* *P.* 26. verſ. 27. annallage, lege, enallage. *P.* 36. verſ. 14. annuo, lege anno *P.* 40 verſ. vlt. ipſe, lege, ipſæ. *P.* 41. verſ. 25. ditione, lege, dicione. *P.* 49. verſ. 4. delendum illud. Rectè. *P.* 53. verſ. 16. plumea, lege, pluma. *P.* 60. verſ. 4. quoque, lege, quoquo. *P.* eadem, verſ. 21. Credo, lege Cedo. *P.* 62. verſ. 20. diligentiæ. l. diligentior. *P.* 71 verſ. 25. poſt verbum, agricultione, adde, & ad cultum vitæ ciuilem. *P.* 81. verſ. 4. geminos, lege, geminas. *P.* 88. verſ. 18. Ἱππίας καὶ Γοργίας relege Ἱππίαν καὶ Γοργίαν. *P.* 94. verſ. 1. iſto. l. *iſtoc.* *P.* 112. verſ. 20. ornamentum, relege, munimentum. *P.* 118. verſ. 18. commouiſti, l. prouocaſti. *P.* 119. verſ. 6. dele illud, & deducendis in campum. *P.* 120. verſ. 21. Certè cum Epicuros l. Certè cum ad Epicuros. *P.* 130. verſ. 21. augur, relege, auſpex.

ALIQVA


MEMORALIA

quæ in hac interpretatione Pallij, Quibus asterisci nota, ea in omissis.

C.

D.

P. 60. vers. 21. *Credo iam.* Lege. *Cedo iam.*
P. 62. vers. 20. diligentiæ officina: lege. *diligentia officina.* Et indice litera H. Aippias. lege Hippias



DE TERTVLLIANO ET PALLIO.

PRIVSQVAM de Pallij huiusce textura dico, & quasi fila eius tractare incipio, de tempore quo texuit hoc Pallium Tertullianus, & de textore ipso, aliqua notare operæ-pretium est. Mutauit togam suam Pallio Tertullianus, cum diutissimè iam Christianus fuisset, déq; mutatione illa texuit hoc pallium, quo tempore in republica Rom. tres AAA, L. Septimius Seuerus Pertinax, & duo eius filij, L. Septimius Bassianus, & P. Septimius Geta. Fides à Tertulliano ipso pallij huiusce disertissimi c. II. vbi blandum illud, & vt Fulgentius quispiam dixerit *laudatorius* ille *palmulæ tactus*. *Quantum vrbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit, præsentis imperij triplex virtus? Deo tot Augustis in vnum fauente?* Argumento est etiam, quod inibi adiungit, *eradicato omni aconito hostilitatis* &c. *omni aconito* &c. dixit, intelligens de oppressis partibus non solum Didij Iuliani, & Pescennij Nigri, sed etiam Clodij Albini: itaque signanter dixit, *omni*. Neque dixit, tot Cæsaribus, aut principibus, sed *tot Augustis*, quia tres eo tempore non Cæsares,

ſed Auguſti. Nam etiam Geta iunior Seueri fili
tunc adpellatus erat Auguſtus, quemadmodu
patet in Faſtis Coſs. & inſcriptionibus antiqu
At Clodius Albinus Cęſar quidem paulliſper fu
vt liquet narratione Ælij Spartiani, & inſcripti
nibus nummorum veterum, ſed nunquam Aug
ſtus. Idque notauit etiam ex Dione breuiator ei
Xiphilinus: Geta verò adpellatus Auguſtus, an
rerum potientis Seueri xv.

Manifeſtarius itaque, vt notatum quoque i
aliis, erroris calculus, illorum eſt; quibus tripl
illa imperij virtus accepta eſt de Septimio Seu
ro, & filio eius Septimio Baſſiano, & Clodio A
bino, vt argumenta iam dixi, eáq, acies etiam al
ex Tertulliani loco illo petitis, latius inſtrui p
teſt, vt cum dicit, *Deo tot Auguſtis in vnum fauen*
Neque enim de Clodio Albino dixiſſet, *in vnu*
cui cum Seuero nulla magnopere vnitas vnqua
fuit: in patrem vero & filios eius examuſſim
conuenit. Neque de breuiculo illo tempore q
Albinus Cæſar fuit, diceret Florens noſter, n
deſiperet animi, *quantum vrbium aut produxit,*
auxit, aut reddidit, præſentis imperij triplex virtus? &
aut illud mox ſequens, *quot cenſus tranſcripti, q*
populi propaginati, quot ordines illuſtrati, quot barb
excluſi? Hæc omnia niſi in extremum ac præce
imperium Seueri conuenire non poſſe, Sparti
nus in Seuero, ſi legatur, & Dio, Herodianus, a
fidem facient. Præterea cum adiungit, *& callo*
rubo ſubdolæ familiaritatis &c. iam oppreſſum Pla
tianum dicit. Sed vt tunc pateſcet, ſcripſit Sept
mius, *& carecto & rubo* &c. Rectè itaque ſubdu
cta ratione, textura pallij conueniet in annu

Seueri xvij.

Sed satis de anachronismo illo, aut parachronismo veriùs: superest alia deerratio manipulariũ interpretum, qui hunc Septimium nostrum, viri proconsularis filium fecêre, credó vt ventis magis secundis, laudi eius & gloriæ velificarentur. Quis auctor & fundus est? D. Hieronymus, inquiunt, in vita Tertulliani, & Eusebius in libro temporum. Atqui neutiquam illi Tertullianum viri proconsularis filium fuisse aiunt, sed *centurionis proconsularis filium.* Sic itaq; illi cauillatoriè aut inscienter potiùs à coniuncto ad diuisum, à centurione proconsulari, ad centurionem proconsulem. Mirum ni à proconsularitate sua Florentis nostri pater ad centurionatum, tanquam à bubus ad asinos transcenderit. Sed alia mens Hieronymi & Eusebij, patrem Tertulliani centurionem fuisse in cohorte aliqua Proconsulis Africæ, & centurionem illum proconsularem dixêre, vt si centurionem Prætorianum nomines, qui in cohorte aliqua Prætorianorum militum, aut centurionem vrbanum qui in cohorte vrbana. Centuriones illi propriè ac speciatim *proconsulares*, quia sic etiam præses Africæ, eminenter *Proconsul*, & Africa *proconsularis prouincia.* Sed contra nos veniet dixerit aliquis Eusebium Ecclesiasticæ historiæ c.11. lib. 11. qui Tertullianum his verbis laudat. *Τερτυλλιανὸς τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς ἀνὴρ, τά τε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. Tertullianus accuratè leges Romanas sciens, tum ceteris etiam rebus gloriosus, & inter maximè illustres Romæ,* &c. Atqui hoc etiam de centurionis filio sic prædicari potest, nempe *vir gloria circumfluens*, &c. Lucilius apud

Ciceronem lib. I. De finibus. *Centurionum, Praelatorum hominum, ac primorum signiferúmque.* De qua gloria centurionum ac posteritatis eorum, etiam Q. Horatius Sat. vi. lib. I. A. Persius Sat. iij. & v. & sæpe alij. Nec verò ad generis solum nobilitatem, sed ingenij etiam doctrinæque gloriam laudatio illa referri potest, & verius potest.

Non dissimilis allucinatio illorum, qui quod est Apologetici c. ix. *Vsq; ad proconsulatum Tiberij* &c. vertêre, omnibus Vertumnis iniquis, *Vsq; ad proconsulem Tiberij.* Atque id longo dictionis suæ profluuio disputant. Tertullianus autem, *Vsque ad proconsulatum Tiberij* dixit, pro vsque ad primum Tiberij Imperatoris Consulatum siue annum IↃCCXLIV. Eúmque annum perargutè, *proconsulatum Tiberij* dixit. Dicere noluit, vsque ad consulatum primum Tiberij, quia Tiberius eo anno paucis diebus Cos. C. Suetonij c. xxvi. reliqua parte anni Coss. alij suffecti, Tiberius autem Proconsul. Itaque non tam consulatus ille Tiberij quàm proconsulatus. Consimiliter etiã alij principes dicti procoss. ijs nempe annis, quibus alij suffecti eis Coss. vt Seuerus, Bassianus, Heliogabalus, Alexander, Macrinus, Aurelianus. Tege ad Vespasianum C. Suetonij c. iv. & nunc potius apertius, in gratiam illorum qui professi nescire se & doceri velle. Ego id Minerual oblatum, negligere nolui.

Nec verò minor etiam frustratio illorum est qui pallium hoc principio & quasi limine operum Septimij posuêre, cum plerique omnes libri eius anteriores pallio sint, vt prænotauêre iam alij. Sed longè longéque ante alios pænè omnes Apologe-

ricus. Nam pallium Tertullianus texuit anno rerum potientis Seueri xvij. vt dictum est. Apologetici autem sui clypeum extulit, quo tempore in Syria Seuerus parabat se ad bellum Parthicum. Nam eo tempore Seuerus Pescennianas reliquias Romæ Plautiano auctore persequebatur, vt Spartianus tradit. Quam reliquiarum persequutionem etiam Dio Xiphilini in Seuero tangit. De eadem accipiendus Tertulliani locus ille Apologetici c. xxxv. *Sed & qui nunc scelestarum partium socij aut plausores quotidie reuelantur* &c. Susceperat eo tempore Seuerus bellum aduersus Atrenorum regem Barsenicum, quod is Pescennij Nigri partibus fauisset, quo tempore etiam Arabiam Felicem subegit, & Parthos vicit, vt tangit Herodianus lib. iij. & Dio Xiphilini. Ex quibus ei victorijs cognomentum Arabici & Parthici, anno imperij sui tertio, vt patet in Fastis Coss. Eaque occasione tunc Plautiano datum Romæ negocium, persequendi reliquias Pescennianas. In Pescennij enim partes, contra genium suum, Seuerus clemens fuerat, *vnúmque* solum *Senatorem*, vt inquit Spartianus, *supplicio adfecerat*. Hoc itaq; anno quasi clementiæ facti pœnitens, & quia cum maximè tunc bellum Clodio facere agitaret, ne quos, dum ipse in Albinum proficisceretur, in vrbe hostes relinqueret, omnes partium Pescennianarum reliquias exstinctas voluit. Hinc satis iam claret, neque de Albinianis ibi neque de Plautianis reliquiis Tertullianum agere, vt persuasi aliqui, cum vterque & Albinus & Plautianus, eo tempore superstites fuerit. Eadem liquet scriptum Apologeticum anno rerum potientis Seueri se-

cundo, Septimio Seuero Augusto, & Clodio Albino Cæsare Coss. vtroque iterum. Et scriptum annis xv. ante Pallium. *Vindemiam* autem *parricidarum* loco illo Tertullianus dicit Pescennium Nigrum, & reges, aliósque belli socios, qui oppressi antè à Seuero fuerant; *racemationem* verò amicos eius qui reliqui Romæ, & *reuelari* ait *quotidie socios scelestarum partium*, anquirente scilicet Plautiano.

Vt autem illi *scelestarum partium socij aut plausores*, Tertulliani loco illo, Pescenniani, sic ij *qui inter duas laurus obsident Cæsarem*, accipiendi percussores Caij & Domitiani. Nam *ij inter duas laurus*, id est, in palatio ipso, & ante cubiculum illos quasi obsessos insidijs suis Cęsares habuêre. Geminę laurus nempe, & media inter eas corona ciuica, in vestibulo atrij Palatini, totidémq; in limine cubiculi. Quam nunc rem dissertare mihi operæ non est, & vulgo trita est. De Commodo & de laureto quæ cogitet aliquis, nihil ad Tertulliani locum faciunt.

Quod verò inibi apud Tertullianum sequitur. *Vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent* &c. rectè interpretati de Commodo, sed prouocabulum *eius*, ad Cæsaris nomen refertur, alium tamen Cæsarem respicit, non Caium nempe aut Domitianum, sed Commodum.

Iam illud, *Vnde qui armati palatium irrumpunt* &c. accipiendum de Læto Præf. Præt. & militibus Prætorianis à quibus Pertinax Imper. cæsus est. Atque hos *omnibus Chæreis atque Parthenus audaciores* vocat, vt rectè.pleriq; libri habent, quia Chærea Caium, Parthenius Domitianum, sed vtrum-

que solum adgressi: at Pertinax custodias nocturnas habuit in armis, & equites, magnaque multitudo in atrio erat salutatorum & id genus aliorum & si qua Dioni fides, potuit Pertinax vim Laeti ac militum eius repellere. Audaciores itaq; illi omnibus & Chæreis & Partheniis, siue omnibus qui adgressi Caium & Domitianum.

Hinc ergo etiam liquet, quamobrem Tertullianus Caium & Domitianum obsessos dixerit, *inter duas laurus*, aut *intra duas laurus*, quippe à domesticis, & inter laurus versantibus quotidie: Pertinacem autem oppressum ab irrumpentibus palatium armatis, nempe militibus, qui non soliti versari intra palatium, aut *inter laurus*.

Qui autem persuasi hunc Tertullianum esse, qui inter auctores iuris est in Digestis, etiam illi frustra sunt. Persuasionem istam refellit varia vtriusque Tertulliani dictio. Nam cui Tertullianica quæ in Digestis, & quæ in hisce de re Christiana commentarijs est, non interest, is tanquam alba linea in albo lapide est, cum illic Romana, hic Africana & transmarina sit. Magis verò etiam ratione temporum euertitur, quibus quisque ab eo liber conscriptus est: & narratione D. Hieronymi qua liquet Septimium maturè factum presbyterum. Nec contra quicquam facit quod Eusebius loco antedicto Tertullianum laudauit, vt *leges Romanas probè callentem*. Sic enim etiã D. Ambrosium, etiam alios laudaueris.

His ita præpurgatis narremus etiam paullisper, quæ Tertulliano texendi hoc pallium occasio fuerit, nempe quod inrideri solita Christianorum qui Christum habitu ipso, & publicè profiteri vellent,

& inter hos etiam Tertulliani, mutatio illa togæ pallio, siue quod togarum vice pallia tunicis suis imponerent, quasi mutatione tali transirent à Romanis ad Græcos & philosophos, vt narranêre satis interpretes. Pectit hac defensione siue apologia, siue potius Satyra inrisores illos Tertullianus, cuius hæc summa subduci potest.

Vituperationi ac probro sibi aliisque nomen Christi sanctissimum publicè professis, verti non debere à Carthaginiensibus, si togam pallio mutent, quia vestium mutatio & solita & honesta sit. Eique rei argumenta dicit.

Primum ex loco similium, ab exemplis, vt quia etiam ipsa Carthago pallia quibus olim vsa, togis mutauit. Etiam Carthaginis soror Vtica. Ab exemplis etiam Lydorum, ipsius denique Romæ. Nam etiam ad hos, mutatione facta, peruenisse togam à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos. Dixisset plenius, à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Tuscos, à Tuscis ad Romanos. Hæ argumentationes C. I.

Deinde iacit argumentum ab auctoritate siue testimonio naturæ. Nam& mundum ipsum habere vices suas. Huius argumentationis aciem latè longéque explicat, per omnes mundi partes eam circumferens, & quasi inductione pugnans.

Subiungit argumentationem ab auctoritate siue testimonio gentium, quarum migrationes varias & mutationes enumerat. Eæque argumentationes sunt C. II.

IV. ratiocinatio est, à testimonio brutarũ animantium, & ferarum, vt auitij, quod & ipsum plumeam suam quasi vestem mutat, & serpentis pellem suam,

lem suam, & hyænæ sexum vertentis, & cerui qui cornua mutat, & chamæleontis qui colores.

V. est à testimonio naturæ humanæ. Nam & nasci homines nudos, & postmodo aliter atq; aliter vestiri. Hæc ita ratiocinatur C. III.

VI. similiter à testimonio ingenij humani. Non solum enim vestium mutatione, sed etiam corporis colendi, comendi, poliendi varietate homines oblectari.

VII. argumẽtatio ex repugnantibus. Pugnantia esse, & absurdum dictu, probro verti Christianis, quod togam pallio mutent, non dari Achilli, qui habitum virilem, puellari olim mutauit; non dari Herculi qui Omphales suæ cultus induit: non potius irrideri, aut conuitijs verberari, & maledictis figi Olympionicam Cleomachum, Assyrium Sardanapalum, aut Neronẽ Romanum, qui cum vestibus, etiam sexum suum vertere in sequiorem: non Ptolemæum Physconem regem impuritate sua, & abollæ regiæ in multitiam mutatione, nobilem: non Alexandrum qui Macedonicam vestem masculam, molli Medica permutauit: non philosophos plerosq; qui palliolo vili spreto, philosophati in purpura, vt Hippias Eleus, vt Gorgias Leontinus, aut in veste serica vt Empedocles. Hæ telorum quasi coniectiones, aut gladij petitiones C. IV.

IIX. argumentatio ex comparatione pallij cum toga. Non esse vituperationi locum in hac permutatione, quia pallium toga expeditius in negocijs, in otio, & honestius & conuenientius, & nimium quantum maiores à togatis, quàm palliatis, progressus aut regressus potius factos in omni

corruptelá morum.

Ad extremum pusilla quædam peroratiuncula est, qua pallio congratulatur, quod non philosophos tantum, & eos qui artes ingenuas profitentur, iam vestiat, sed etiam Christianos. *Gaude pallium & exsulta &c.* Hæc C. v.

Nominat vero hunc librum Iosephus Scaliger ad Festum in *Subuerbustus*, *librum Tertulliani scholasticum*, *De pallio*, verius fortean dicturus Satyricū, siue Satyram, aut apologiam Satyricam aut Satyram apologeticam. Nihil enim aliud quàm Satyra est, in non Christianos, inludentes Christianis propter togæ mutationem. Hinc ergo etiam vt in Satyra, sermonis Tertullianici, præter solitum licentia, & quasi lasciuia Satyrica.

CAPVT I.

Principes sem. Africæ V. C.

L. Apuleius Floridę primæ initio, *Principes Africæ V. C. &c.* Tertullianus adiunxit, *semper*, cum propter æmulam Carthaginis Vticam quę principatum siue primum Africæ locum adpetiuerat, & cuius, vt inquit, Appianus in Punicis, τὸ πάλαι μῖσος antiquum odium in Carthaginienses: tum quia Carthago etsi à Romanis diruta, *semper* tamen, siue etiam nunc Africæ caput, princeps, siue metropolis, siue vrbium mater, siue principatum, siue primum locum obtinens. Vide sis Appianum loco quem dixi.

Vetustate nobiles.

De vetustate Carthaginis est Virgilij Æneide 1. Antiquior nempe Carthago vrbe Roma, annos LXV. Velleius lib. 1. Neque longè aliter Dionysius Originum lib. 1. Alij annis LXXII. vt Iustinus lib. XVIII. Ex eoque Paulus Orosius. Sed ea res controuersiarum plenissima est. Itaque Eusebius in suo temporum libro, quatuor conditæ Carthaginis diuersa tempora notauit.

Nouitate felices.

Nouæ coloniæ deductione ab Augusto, de qua mox paullò dicendi locus.

Habitus denotare pacis.

Gaudeo siue gratulor, quod *habitus pacis*, siue toga denotat, siue quasi adposita nota declarat, *vos tam prosperos temporum*, siue tempore vos frui tam prospero, & gaudeo siue gratulor, *cum ita vacat*, siue vacuum vobis tempus à bello, & cum ita iuuat, siue iucunda vita vobis, propter summam Septimij Seueri, & Bassiani A A, in Afros cum alios, tum etiam vos Carthaginienses indulgentiam & largitatem. De qua etiam indulgentia nummi veteres Seueri & Antonini, cum inscriptione. *Indulgentia Augg. in Carthag.* Qui numi cusi ante hoc Pallium detextum à Tertulliano. Ea verò Septimij Seueri, & Bassiani in Afros indulgentia, quia Seuerus ipse Afer patria, domo Leptinanus siue Tripolitanus, quemadmodũ patet Ælij Spartiani Seuero. Peccant autem qui rescribũt, vt Petrus Ciacconius, *habitus denotare. Pacis hæc annona*

& otia,& Iampridem explosa illa correctio est, & à Tertulliano ipso & historia refellitur.

Hæc & annona & otia.

De annona iam dixi. *Otia* verò dicit vitam securam & vrbanam, vt rectè *otia* interpretatus Seruius ad Elog. 1. Donatus in Hecyram.

Bene est.

Adprobationis & fauentiæ formula *Bene est*, *Bene habet*, καλῶς ἔχει, vt Tullij pro Murena. Propertij Elegia vlt. lib. iv. Eiusdémque modi Græcis est εὖ, de qua differit formula D. Gregorius Nazianzenus epist. cxxv.ii. ad Adelphium.

Tamen & vobis habitus aliter olim.

Nunc quidem eos qui togam pallio mutant, despicitis vt Græculos & philosophos, præ vobis qui togati estis. Atqui etiam ipsi olim vos non togati vt hodie, sed tunicati & palliati. *Olim*, videlicet, ante quàm à Iulio Cæsare patre ac filio ciues Romani coloni facti essent.

Tunicæ fuêre.

Vt Hamilcar apud Iustinum lib.xviij *procedit sordida seruiliq; tunica discinctus &c.* Notemus & Romanos & Carthaginienses tunicatos fuisse, sed differenter. Primùm, Romani tunicati & togati: Carhaginienses olim tunicati & palliati. Deinde, Romanorum sine manicis tunicæ: Pœnorum manicatæ, vt Plauti Patruo Sc. xiv. Ritu autem Romano tunicæ manuleatæ mulierum, Plauti Aulularia Sc. xvi. A. Gellij c. xij. lib.vij. Tertiò

tunicæ Romanæ breuiores, siue non demissæ ad talos, sed anterius, *paullùm infra genua, posterius, ad medios poplites.* Fabius c. vlt. lib. xi. Q. Horatius Sat. ij. lib. i. Pœnorum verò tunicæ demissæ ad talos, vt Plauti Patruo Sc. xvij. Hanno Pœnulus *cum tunicis longis, quasi puer cauponius.* Eæque ibi, tunicæ demissitiæ. Propter eaque Ammianus Marcellinus lib. xiv. proceribus Romanis inter alia vitio vertit *longioris fimbriæ tunicas &c.* Quarta differentia est. Romanis tunicæ cinctæ, vt Fabij c. vlt. lib. xi. C. Suetonij Iulio c. XLV. Hinc etiam *cinctura* pro tunica, Fabij loco eodem. Atque vt est apud Dionem Xiphilini, notatus Nero est, quod prodiret indutus *χιτῶνας ἀζώστους. Tunicas sine cinctu.* Ait autem C. Suetonius Cæsarem *cultu notabilem* fuisse, *quod vteretur lato clauo ad manus fimbriato, nec vt vnquam aliter, quàm super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura &c.* Intelligi vult, ceteros cingi solitos demissius, in ipso clauo, ad pectus, ita vt cinctura breuior esset: Cæsarem superius clauo, vt tunica inferius longior laxiórque flueret. Tunica nempe laticlauia demittebatur à pectore, siue loco cincturæ: Horatius Sat. vi. lib. I.

Nam vt quisq; insanus nigris medium impedijt crus
Pellibus, & latum demisit pectore clauum.

Laticlauiæ tunicæ demissiores angusticlauijs. Fabij loco eodem. At tunicæ Pœnorum absque cinctu, quemadmodum Tertullianus mox ipse dicturus est.

Sed vt Romanis, sic etiam Pœnis, aliæ ingenuorum, aliæ seruorum tunicæ. Illæ latiores, hæ strictiores, vnde vt dixi, Hamilcar ille *in seruili tunica.* Narraui ad Q. Horatij epist vij. A. Persij Sat. v.

Et quidem in fama.

Pœnorum illæ tunicæ *in fama*. *In fama*, vt in laude, in honore, in gloria. Similitérque Attici. Extra scopum illi qui correxêre, *et quidem infamata*, Laudat enim has Tertullianus, non vituperat tunicas.

De subteminis studio.

In fama illæ tunicæ, *de subteminis studio*, siue quod essent studiosè textæ laneo tenui filo, siue subtili. Subteminis propria est subtilitas, vt Plauti Mercatore Sc. Amice. *Subtemen tenue nere &c.* Subtemen filum tenue, quod subit stamini. Dixi ad A. Persij Sat. vi. Extra oleas, qui corrigunt, *de subtegminis studio &c.* & intelligunt *subtegmen* quo suffultæ vestes, quæ duplicatura vulgò. Atqui ridicula res, tunica suffulta, Romæ aut Carthagine. Correctio illa respexit ad vestes de panno, quales hodie.

Et luminis consilio.

Rescripsêre, *& luminis concilio*, & intellexêre lumen, os tunicæ. Tertullianus voluit, *de luminis consilio*, & intelligi, quod Tyriæ, & tinctæ essent, quasi capto consilio de lumine siue colore. Color quasi lumen est, siue non sine luce, quemadmodum disserit Aristoteles c. 1. lib. De coloribus. Et Plato in Timæo colorem esse ait, φλόγα τῶν σωμάτων ἀπορρέουσαν, *flammã de corporibus fluentem.* Et *Chlamydes veri luminis*, hoc est veræ purpuræ, Trebellius Pollio dixit in Claudio. Dixit autem *de consilio luminis*, vt L. Seneca c. xij. De breuit. vitæ. *Dum de*

singulis capillis in consilium itur. Sic Tertullianus ipse huius Pallij c. iv. *Vnde & nominis consilium.*

Quod neque trans crura prodigæ.

Laudauit tunicas Pœnorum à subtemine, à lumine siue colore: pergit laudare à mensura, *quod neque trans crura prodigæ &c.* Tunicæ Romanæ anterius, *paullum infra genua*: posterius *ad poplites demissæ*. Fabius c. vlt. lib. xi. *Punicæ* verò infra medium crus, aut vlterius paullò demissæ, vt nunc Tertullianus eas pingit. Tales nempe olim: at postea demissę ad talos. Itaque Seruius ad Æneidem viij. *Pœnorum*, inquit, *vsque ad talum fluxisse habitum* siue tunicas.

Rectè autem libri communes habent, *prodigæ, inuerecundæ, parcæ, artæ*, frustra ex M. S S. siue manu scriptis corrigunt, *prodigè inuerecundè, parcè, artè*, Refelluntur planè sequente illo, *sed nec cingulo sinus diuidente expeditæ*. Anne & ibi corrigent, *expeditè*?

Nec intra genua inuerecundæ.

Eo pacto non inuerecundæ, quia tegunt vlterius, quàm Romanæ.

Nec brachiis parcæ.

Quia non sine manicis tanquam alis ad brachia demissis.

Nec manibus artæ.

Quia manicæ illæ non indutui, sed ornatui ac delicijs. Hoc vt constet, tunicarum genus triplex notemus. Primum Punicas, quæ cum manicis, vt

dixi, ad brachia demissis: alterum *χειροδωτάς*, siue quarum manicę indutui, siue tegentes brachia, *vsque in primores manus*, ęquæ manicæ muliebres Romæ, A. Gellius c. xij. lib. vij. Tangit eas Dio Legatione xxciij. Tertium absque manicis, Romanas viriles, ἐξωμίδας. A. Gellius inibi.

Sed nec cingulo diuidente, expeditę.

Sic libri communes, meliùs alij, *sed nec cingulo diuidente expeditæ, atque &c.* Distinguit à tunicis Romanis Punicas. Romanæ cingebantur, vt essent expeditiores, siue ne nimis fluerent, & præpedimento essent. Testis auctor huiusce Pallij ipse inferius hoc capite, *Exinde*, inquit, *tunicam longiorem cinctu arbitrante suspenditis, &c.* Consimiliterque post c. v. Etiam narraui ex Fabio, Suetonio, Dione, alijs. Punicæ verò ita breues, vt etiam absque cingulo expeditæ satis essent. Hinc Virgilius Æneide viij. *discinctos Afros* vocat, videlicet quia sine cingulo essent, siue quod non cingerent tunicas suas. Itaque oscitauit Seruius cum ad Æneid. I. proferens locum illum Æneidis iv. *discinctos Afros*, interpretatus est, *negligentes.* Moribus Romanis ea conueniens interpretatio non Punicis, siue Romani discincti negligentes, quia cingi debent: Pœni autem discincti semper, quia nullus eis vsus cinguli. Atque sic *Hamilcar discinctus* Iustini lib. xviij. Seruius verò etiam ad Æneidem viij. quærens cur Afros Virgilius *discinctos* nominet, *vel*, inquit, *quia habitus eorum vsque ad talos fluebat: vel quia inhabiles militiæ: vel quia inefficaces &c.* Primum illud interpretamentum à re abest propius, cetera nihilo meliora quàm quod adpinxit

Æneide

Æneide I. Sed neque primum illud Poëtæ mentem satis expressit, vt ex antedictis planum est. Hinc ergo etiam patet, illorum ingenijs male esse, qui rescripsêre, *prodigè, inuerecundè, parcè, artè, expeditè.*

Atque quadratæ instita.

Dixit tunicas Pœnorum sine cinctu olim fuisse, atque ita discreuit à tunicis Romanis: adiungit, non sine quadrata instita fuisse, eóque modo distinguit etiam à tunicis Romanis, quibus non solum claui purpurei, sed etiam purpureæ institæ: Carthaginiensium verò tunicis instita purpurea frustra fuisset, cùm essent totę purpureæ. In tunicis institæ, fasciæ latæ, quales Helueticæ. De instita dixi ad Q. Horatij Sat. ij. lib. I.

In viris autem pallij.

Cur dixit, in viris? Quia, inquiunt, mulierum palla: virorum pallium. Atqui Vlpianus l. xxiij. De auro arg. leg. *Pallia* esse ait *communia* virorum & mulierum. Sanè sic Vlpianus, sed subiungit, *si talia huiusmodi, quo sine reprehensione vel vir vel vxor vtatur &c.* Idque non de pallio tantum, sed etiam penula, toga, sic dici posse, Vlpianus ipse indicium facit, cum & *penulam* ibi nominat, & adiungit, *& reliqua huiusmodi.* Quemadmodum etiam de muliebribus vestimentis agens, ea esse dicit, quibus *vir non facilè vti potest sine vituperatione, vt stolas, pallas, tunicas &c.* vtrobique intelligi vult, eiusmodi vestimenta virorum aut mulierum propria esse, aliqua tamen figuræ mutatione fieri posse communia: Sic palliorum vsus communis virorum &

feminarum in Græcia, vt Æliani variis c. ix. & seq. lib. vij. Laërtij Socrate, & apud elegantiarum Arbitrum, *incincta quadrato pallio*, Enothea siue Enthea. Dixit ergo nunc Tertullianus, *in viris autem pallij*, ad discrimen Pallij muliebris, quæ palla est: Isidorus c. xxv. lib. xix. *Palla, est quadrum pallium muliebre &c.* Vtraque nempe habitu quadrangulo, sed pallium breuius: palla longior. Itaq; ibibi Isidorus, *Pallam vestem esse* ait, *deductam ad vestigia*. Ergo Vlpianus rectè, pallium virile non esse, *si vir eo sine reprehensione vti non potest*, puta si vsque ad talos demissum, & à palla non differens, quale *nutricis pallium*, Plauti Bacchidibus Sc. Nunc experiar. Sic enim pallium à palla non differt. Atqui differre debuit, & tantum vsq; ad calceos demitti, Fabius c. vlt. lib. xi. Quid sit vsq; ad calceos, patet meminenti eorum quæ commemoraui de calceis. Præterea pallium fibula sola tenetur ex humeris adstricta: palla verò non solùm fibula, sed etiam cingulo Isidorus c. xxxi. lib. xix. cuius locum mox inferius explico. Summa autem horum verborum est. Ridetis nunc vos non Christiani Christianos, si pallium superponũt siue inijciunt tunicis suis: atqui vos etiam olim & tunicati & palliati fuistis.

Et ipse quadrangulus.

Sic pallium, στολὴ τετράγωνος Appiani lib. v. & ἱμάτιον τετράγωνον Athenæi lib. v. & *quadratum pallium* Entheæ Petronianę, & *Francorum pallium quadrangulum duplex*, Sangallensis Monachus vita Caroli Magni c. xxxvi. Tertulliani etiam c. v. Pallium loquitur, & dicit sibi *quatuor* esse *angulos*.

Ab utroque laterum regestus.

Cuiuſmodi regeſtio illa, percipi poteſt deſcriptione L. Apuleij, pingentis pallam Iſidis, lib. xi. quem eius locum profero ad c. v. vbi hoc inter cetera, *quæ circum circa remeans &c.* Eadem liquere poteſt, quemadmodum pallij habitus *ceruicibus circumſtructus*, & falli, qui legunt, *circumſtrictus &c.*

In fibulæ morſu humeris acquieſcebat.

Acquieſcebat humeris in morſu fibulæ, id eſt, vi mordentis fibulæ. *In morſu fibulæ*, nihil aliud eſt, quàm, *morſu fibulæ*. Dictum Atticè, vt c. xij. De virginibus veland. *& in acu laſciuiore comam ſibi inferant &c.* id eſt, acu, &c. In epigr. Græco ἐν βέλει πληγείς. *In telo percuſſus*, id eſt, telo. Et in literis ſacris c XLIIX. Rectorum ſiue Iuſtorum. ἔλαβον ἐν μαχαίρᾳ μου καὶ τόξῳ, *Cepi in gladio meo, & arcu*, id eſt, gladio meo. Et D. Lucæ c. xxij. Κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ; *Domine, ſi percutiemus in gladio?* id eſt, an percutiemus gladio? Gloſſę Philoxeni. Ῥάβδος ἐν ᾗ πλήσσω. *Fuſtis.* Sic Apulei aſini lib. ij, *Grauis in annis.* Et inibi. *Vini cadum in ætate pretioſi.* Sic itaq; nunc *in fibulæ morſu*, id eſt, morſu fibulæ. Male ingenio illius fuit, qui reſcripſit, *in fibulæ morſu*, & voluit, aliud fibulam eſſe, nempe circulum qui mordetur: aliud infibulam, vncum qui mordet: Sed fundum illius vocabuli & auctorem habet neminem, reſteque fibulę nomine continetur res vtraque. Iſidorus c. xxxi. lib. xix. *Fibulæ ſunt quibus pectus feminarum ornatur, vel pallium tenetur: viris in humeris, ceu cingulum in lumbis.* Voluit Iſidorus, *ceu cingulo in lumbis mulierum.* Sic Petronij *Enthea incincta qua-*

drato pallio. Differt itaque pallium & palla, non solùm quod palla longior, vt dixi, sed etiam quod fibula pallæ in pectore, & insuper cingulum eius in lumbis: & quod palla non circumstructa ceruici. Infibulati palliis viri, cinctæ pallis mulieres, & infibulatæ ad pectus. Hinc itaq; Lycurgus contra Leocratem palliatos, dixit, *διπλᾶ ἱμάτια ἐμπεπορπημένοις, duplicibus vestimentis infibulatos.*

Hodie Æsculapio iam vestro sacerdotium est.

Iam vestro, id est, etiam vestro, non Græciæ tantum aut Romæ. *Iam* pro etiam vt inf. c. iv. *Vltra inter fullones iam Nouianos coronandus &c.* id est, etiã inter fullones &c. *Etiam* quippe nihil aliud quàm *& iam*. Sacerdotibus Æsculapij vestris etiã hodie, pallium eiusmodi. Quare dixit *Aesculapio vestro?* Quia, inquiunt, de Æsculapio agit Pœno, quem Virgilius Æneide vij. *Pœnigenam* vocat. Sed ea anilis fabella est. Nam & *Phœbigena* is est Virgilio, vt testis locuples ipse Poëta est: & nusquam vllæ de Pœno illo Æsculapio historiæ, non Ciceronis lib. iij. de nat. Deor. qui Æsculapios tres narrat, non Theodoreti ad Græcos Sermone iix. Nihilq; aliud Tertullianus dicere vult, quàm, *Aesculapio etiam vestro*, qui non solum Epidauri, aut Pergami, aut Romæ, alijsque locis colitur, sed etiam Carthagine. Narrant historiam Geographus lib. vlt. L. Florus epit. LI. Exsertímq; Appianus in Punicis. *Aesculapio* autem etiam *vestro sacerdotium est*, pro, Æsculapij etiam vestri sacerdotibus est. *Sacerdotium*, pro sacerdotum, vt in iure ciuili, *hereditatum*-

rum, parentium, ciuitatium, facultatium, æstatium, seruitium, &c.

Sic & in proximo soror ciuitas.

Soror illa Carthaginis, Vtica. Eam *sororem* vocat, quoniam colonia Tyriorum etiam ipsa, vt Carthago, & quoniam par quodammodo. Pomponius Mela c. vij. lib. I. *Vtica & Carthago, ambo inclitæ, ambæ à Phœnicibus conditæ.* Etiam Appiani Punicis. *Vtica Africæ maxima post Carthaginem ciuitas.* Eadémq; Geographus lib. vlt. *In proximo* auté, quia vt inquit, ibi Geographus Εἰσὶν ἐν ἐπόψει ἀλλήλαις αἱ πόλεις. *In conspectu eæ ciuitates, altera alteri.* Appianus in Punicis, eas distare stadijs lx.

Et sicubi alibi in Africa Tyros.

Et si qua alia Tyriorum in Africa colonia, præter Vticam & Carthaginem. Dixit, & *sicubi*, quia res non extra controuersiam, &c. Quæ sit autem Tyrus illa Africæ, interpretes quærunt, nec inueniunt. Atqui est Adrymetum, Iulius Solinus c. xx. *Adrymeto*, inquit, *atque Carthagini auctor est, à Tyro populus &c.* Sic itaque tres Tyri siue tres Tyriorum coloniæ in Africa, Carthago, Vtica, Adrymetum.

At cùm secularium sortium domina Fortuna.

Rectè planéque sic libri communes: Hoc enim auctor dicit. *At cùm Fortuna, quæ secularium sortium domina est*, & Deus qui ipsius Fortunæ dominæ dominus est, Romanis factum esse maluit Distor-

tæ & varæ sunt relectiones illorum qui corrigũ *At cùm secularium sortium variauit vrna, & Roma nus &c.* Aut qui rescribunt. *At cùm secularium sor tium dominia fortunare Romanus Deus maluit,*

Et Romanus Deus maluit.

Similiter inferius c. iij. intelligi autem vult, & *Romanus Deus maluit factum.* Quippe factum alicu velle, dixit M. Cato in Orat. pro Rhodijs apud A Gellium c. iij. lib. vij. *Quod cum & vtiles essent, & vellent regi esse factum.* Symmachus epist lx. lib. *Gelasius cui factum volo.* Apuleius Apologia I. *Sici nium Pontianum priuignum meum, cui factum volo,* i est, euenire quæ vult cupio. Ad hoc exemplum itaque Tertullianus dixit, *factum malle alicui.* E autem traiectio, *& Romanus Deus maluit,* pro, & Deus Romanis maluit.

Soror quidem ciuitas.

Quidem suspensum ex illo sequẽte, *vobis verò &* Itaque rectè monent legendum esse, *præcoqua: vo bis verò &c.*

Vt adpulsum Scipionem ante iam.

Populum Vticensem pallia togis, & tunicas sua Romanis mutauisse ait in aduentu P. Scipion Africani iunioris, qui Carthaginem deleuit. At hoc ita in annalibus Punicis Tertullianus legi opinor. Sed mutatio illa fortean facta erat ant Punicum bellum tertium, & ante in Africam ac uentũ, non modo Scipionis, sed etiam Coss. Ma nij Manilij, & L. Marcij Censorini. Antea enin iam dediderat se Romanis Vtica, eáque deditior

filiam nepotibus Romuli mouit belli Punici tertij, & vt loquitur L. Florus Epitoma xlix. *maximum belli omen fuit.* Belli nempe Punici iij. Narrauit rem Appianus in Punicis, neque dissimiliter L. Florus. Hinc etiam Tertullianus nunc Vticam vocat *Romanam præcoquam*, quia præcociter & quasi ante maturitatem se dedidit, & Romana facta est, & donata iure coloniæ, *in quod ius mutari gestiat*, vt loquitur D. Hadrianus A. Gellij c. xiij. lib. xvi.

Post iniuriæ beneficium.

Accipi non potest vt malè persuasi aliqui, de C. Gracchi noua Carthaginem coloniæ deductione. De hac enim illud sequitur, *post Gracchi obscœna omina &c. Iniuriæ beneficium* vocat ὀξυμώρως, euersionem Carthaginis tertio bello Punico. Hanc *iniuriam* vocat, quia exscissa Carthago est: eandem *beneficium*, quia ei salutare fuit, redigi in ditionem populi Romani, vt de Cauchis C. Plinius c. 1. lib. xvi. de gentib. alijs Rutilius Numantianus Itinerarij lib. 1.

Profuit iniustis te dominante capi.

Etiam D. Augustinus c. xii. lib. v. De ciuit. Dei. Cum interpretatione mea bellissimè illud conuenit sequens, *vt senium non fastigium exemtis &c.* Lego, *& senium &c.* & refero ad antecedens, *vobis* &c. Vobis senio exemtis, vt serpentibus aut aquilis. Euersione illa Carthaginem, vt serpentes solent, senium exsuisse, non deposuisse fastigium siue principatum Africæ. Semper enim vt ante dictum est, Carthaginienses, *principes Africæ. Exemtis* autē

senium, non fastigium. Atticè, pro, exemtis senio, non fastigio.

Post Gracchi obscœna omina.

Accipe de C. Gracchi Carthaginiensi colonia Iunonia. Narrat Plutarchus in Gracchis, Appianus in Punicis, Iulius Solinus c. xxx. Paullus Orosius c. xii. lib. v.

Et Lepidi violenta ludibria.

M. Æmilius Lepidus IIIvir Africa potitus fuerat, Dio lib. xliix. eoque tempore Carthaginis coloniæ nouæ partem depopulatus erat, quasi inuidens Cæsaris Octauiani gloriæ, qui eam deducere exorsus, Dio fine lib. lii.

Post trinas Pompeij aras.

Intelligi vult de colonia deducta Carthaginem à C. Iulio Cæsare patre, dictatore V. Is enim colonias deduxit Carthaginem & Corinthum. Dio lib. xliii. Plutarchus in Cæsare. Propositum Tertulliano perstringere multas illius alio atque alio tempore, coloniæ deductiones, aut cogitatas, aut cœptas, aut perfectas. Ea Cæsaris patris deductio facta post *tres* Cn. Pompeij *aras* siue triũphos. Tres Cn. Pompeij triumphos *aras* vocat, quod triumphantes sacra soliti facere in Capitolio. Iuuenalis Sat. x.

Pone domi laurus, duc in Capitolia magnum
Cretatúmque bouem ------ Lucilius. *Ne in ara bouem discerpsi magnificè, inquit.* Donatus in Andriam. Omnibus etiam aris tota vrbe, in triumpho sacrificia. Ouidius Ponti eleg. iii. lib. iii.

Totamque

------ *Totamque per Vrbem*
Omnis odoratis ignibus ara calet &c.

Turbauit verò Tertullianus temporis ordinem. Deductio enim Cęsaris patris, ante Cęsaris filij deductionem, & fortean hæc duo transposita malè à librarijs, & fuisse Tertulliani stilo scilicet, *post trinas Pompeij aras, & Lepidi violenta ludibria &c.*

Et longas Cæsaris moras.

Cæsaris Octauiani. Is enim Carthaginem & Corinthum colonias deduxit anno Iↄccix. M. Antonio P. Dolabella Coss. Iulius Solinus c. xxx. Idem rursus deduxit Cos. V. collega Sex. Apuleio, anno Iↄccxxv. Dio fine lib. lii. *Moræ* igitur Cæsaris huiusce *longæ*, annorum xvi. De hac autem postrema coloniæ Carthaginem deductione Geographus lib. xvii. Appianus fine libri De bellis Romanorum Libycis. Dio lib. lii. L. Florus Epitoma cxvii. Pomponius Mela c. vii. lib. I. Iulius Solinus c. xxx.

Quare autem opus noua illa deductione fuerit, Dio explicat, nempe quia M. Aemilius Lepidus IIIvir Africam obtinens coloniæ illius nouæ μέρος τι ἠρημώκει, καὶ διὰ τοῦτο τὰ δίκαια τῆς ἀποικίας σφῶν λελύσθαι ἐδόκει, *partem eius aliquam depopulatus erat, videbatur ius eorum coloniæ dissolutum &c.* Dixit, *eorum coloniæ*, innuens veteranos petiuisse à Cæsare Octauiano, vt noua deduceretur.

Vbi mœnia Statilius Taurus imposuit.

T. Statilius Taurus, inquiunt, Procos. cum fuisset Cos. ii. anno antecedente, Atqui is annus Iↄccxxix. Carthaginem autem colonia postremò

deducta est anno ɔccxxv. vt ostendi ex Dior Quadriennio itaque illa deductio prior. Aut er illis calculi error ille, aut diuidere necesse habe deductionem,& instaurationem, & verò instau tioné accipere mœniũ impositionem. Sed pla Tertullianus intelligi vult, Statilium Taurũ eo a no nempe ɔccxxv. in Africa instaurationi Carth ginis præfuisse, & mœnibus incinxisse nouam c loniam ea parte qua M. Lepidus eam diruerat.

Sollennia Sentius Saturninus enarraui

Vt T. Statilium Taurum coloniæ instauranda sic C. Sentium Saturninum augurem, solenn coloniæ deducendæ ritus docuisse. Ii autem plu mi, vt aratri circumductio territorij limitibus d cumanis, cardinibus acturijs distinctio, auspici lustratio, ad hostias deducendas, boni nomin electio, aliaque id genus, que commemorare lon gum.

Cùm concordia iuuat, toga oblata est.

Toga oblata, cum iure scilicet coloniæ, ann quem dixi ɔccxxv. Tunc *iuuit concordia*, siue iu cunditati fuit, pax & concordia toto imperio Ro mano, bellis omnibus sopitis, cluso Iano Gemino & condito augurio salutis. Narrat Dio lib. li. Scr pserat autem fortè an Tertull. *cum concordia iuu &c.* Quanquam neque annallage illa temporis *iu uat*, pro iuuit, parum Tertullianica est.

A Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos

Potuit, vt à principio dixi, etiam magis in ho togæ venientis campo exspatiari,& dicere, à Persi

ad Pelasgos siue Arcades, ab his ad Lydos, à Lydis ad Hetruscos, ab Hetruscis ad Romanos. Dionysius Originum Romanarum lib. III. C. Plinius c. I. lib. III. Artemidor. Daldianus c. III. lib. II.

Exinde tunicam long. cinctu arb. suspenditis.

Exinde siue ab eo tempore, *quo ab humeris sublimiorum populi*, nempe Romani, humeros Carthaginiensium toga complecti cœpit, etiam tunicas Romanas sumsistis, & cinxistis vobis, abdicatis Punicis. Africanæ siue Punicæ olim breues & absque cinctu: Romanæ longiores & cinctæ. Vt antè narraui. De his Pœnorum laxioribus & longioribus tunicis, etiam ipse c. v. dicturus illud, *tunica prius cingulo correpta, quàm præstabat moderatiorem texuisse.*

Et pallij iam teretis redundantiam.

Non tunicas solum vestras mutauistis tunicis Romanis, sed etiam pallia vestra in aliam speciem & figuram vertistis. Nam pallia vobis olim quadrata fuère, nunc rotunda sunt: olim stricta, nunc laxa siue redundantia: olim plana & simplicia, nunc plicaturis siue strigis, siue tilijs, siue tabulis structa. Sic Martiali epigr. xcii. lib. iii. *Stola rugosa.* Cedrini Tiberio στολὴ σωληνωτή, & Apuleij lib. xi. Isidis Deæ *stola, multiplici contignatione dependula.*

Tabulata congregatione.

Apuleius, *multiplici contignatione*, metaphoricè ab ædium trabibus. De vestium autem tabulis & rugis dicendi locus ad c. v.

Et si quid præterea.

Nec enim togæ tantum aut pallia cum tabulis, sed etiam vestes pleræque aliæ variantes pro *conditione* hominum, vel *dignitate*, vel *temporum mutatione*. Pro conditione, vt pauperis ac diuitis, ingenui, libertini, serui. Pro *dignitate*, vt magistratuũ. *Pro temporalitate*, vt festorum, ludorum &c.

Vel temporalitas vestit.

Si quid vos Carthaginienses, *vel conditio, vel dignitas, vel temporalitas vestit*, siue vobis vestiendi causa.

Pallium tamen generaliter vestrum.

Etsi pallium generaliter siue populariter iam olim, atque etiam hodie vestrum, tamen cum Christiani eo se vestiunt, id denotatis quasi infame, inmemores id vestrum esse: & corrige, *inmemores, etiam &c.*

Et quidem haud miror.

Et quidem non miror vos inmemores siue oblitos antiqui illius palliorum vsus vestri, cum etiam aliud sit *documentum* siue argumentum *superius*, siue fortius vestræ obliuionis, quod arietem belli machinam, vestrum esse inuentum obliti estis &c. Rectè itaq; vulgò scriptum est, *denotatis. Et quidem haud miror &c.* Qui non penetrauêre sensum Tertulliani, rescripsêre absurdè, *denotatis (& quidem haud miror) præ documẽto superiore &c.* Nihil à mente auctoris alienius.

Nam & arietem.

Ex inscitia illa eadem correctio altera, *præ documento superiore: nam & arietem &c.* Cum rectissimè haberet illud, *præ documento superiore. Nam & arietem &c.*

Reciprocornem, lanicutem, testitrahum.

Testitrahum illud variè interpolatum à Criticis: *textitrahum, vestitrahum, textitrabum, trabitextum, &c.* Non adtendêre obscœnitatem mimicam siue mimo decoram esse, *testitrahum*, nec cauerunt Laberio ineptam iterationem, *lanicutem*, ac *vestitrahum*, aut *textitrahum* cum res eadem sit. Quid enim *vestis* aut *textum* arietis? profectò lana. Insignis autem parte illa est aries, quam proles vocant, vt Arnobius lib. v. de Ioue agens mutato in arietem, *inspicientem testiculos arietinos &c.* Et Cornuficius ad Herennium lib. IV.

Sed trabes machina est.

Victruuius c. xix. lib. x.

Nemini unquam adhuc libratum.

Arietem esse vult inuentum Carthaginiense, neque dissentit C. Plinius c. lvi. lib. vii. Nam exsertè ait, equum se Troianum dicere, qui tunc nominatus *aries*, quia nempe similitudinem habeat aliquam huiusce arietis, quam Tertullianus *trabem machinam* vocat, Græci *κριοδόκην*. Sed hoc interest. Equus ille aries impulsus introrsum; aries trabes machina extrorsum. Patet Victruuij c. xix. lib. x. Iosephi exscidij c. xv. lib. iii. ex eoque Pseud-He-

gesippi c. xi. lib. iii. Appiani Libycis, Pausan
Stratagemate ix. lib. vi. A. Gellij c. xiii. lib. i. An
miani Marcellini lib. xx. & xxiii. Renati Vege
c. xxiii. lib. iv. Suidæ in *κελὸς* & *περπμή*. Isidori
xi. lib. xiix. Historiæ miscellæ lib. xvii. Contrar
huic arieti machinæ cum aliæ, tum lupus, de qu
Victruuius c. vlt. lib. x. Pausanias loco antedict
Vegetius c. xxiii. lib. iv.

Armasse in oscillum penduli impetus.

Sic armasse, vt oscillatione quadam librari po
set. Sed Victruuius c. xix. lib. x. Oscillationis h
iusce arietinæ inuentum adscribit Cerræ Chalc
donio. Aliqui vt Tertulliano concilient Victr
uium, relegunt *Cerræ Carchedonio*, id est, Carthag
niensi. Absurdè. A Carthaginiensibus enim pro
gressus in arietis inuentione Victruuius ad Ce
ram Chalcedonium, à Cerra Chalcedonio, ad Po
lybium Thessalum, qui cum Philippo Amyntæ
lio ad Byzantium, à Polybio ad Diadem & Ch
ream, qui cum Alexandro Philippi F. Sic paull
tim creuisse inuentum illud arietis, neq; vlla Te
tulliano & Victruuio pugna est.

Vt nouum extraneum ingenium.

Vt nouam extraneam machinam, *ingenium*, m
china structa ingeniosè. Sic ingenia *pœnarum*
iix. De resurrectione carnis. *Artium ingenia* c.
libri De spectaculis, *ingenia vestificinæ*, infra Pal
c. iv. Et, *membra esse ingenia substantiæ animalis*,
est machinas, c. xiv. De anima, C. Plinius c. xv
lib. ix. *M. Apicius ad omne luxus ingenium natus*,
est, ad omnem molitionem, machinam. Histor

miscellæ lib. xvii. *Argumentosum ingenium.* Et Adpendice Gregorij Turonensis. Hinc hodiéque *ingenia* pro machinis. Male historię miscellę lib. xvii. est *magn erium* pro *machinarium.*

Sic denique pallium agnoscitur.

Rectè in alijs. *Sic denique nec pallium agnoscitur.*

CAPVT II.

Sit nunc aliunde res.

ARgumentatus sum exemplo Carthaginiensium ipsorum, Christianis fas esse togam mutare pallio: nunc ne sermo hic, de mutatione illa vestra, vobis inter Romanos rubori sit aut dolori, quasi exprobans vobis leuitatem, aut seruitutem, sit aliunde res, petamus aliunde rationes siue argumenta, quibus nostram togæ pallio mutationem laudi esse debere, non vituperationi doceamus. *Res*, est argumentatio. Tullius Paradoxo iv. *Rebus aduincam necessarijs.* Et Tuscul. I. *Causam rebus iudicatam*, Priscianus in Periegesi ------- *Retegens tibi veris omnia rebus.* Ael. Lampidius in Alexandro, *probare manifestis rebus.* Cælius Aurelianus c. vlt. lib. I Tardar. passion. *Sed horum deliratio, manifestis probatur rebus. &c.*

Ne Pœnicum inter Romanos.

Id est, ne Pœni &c. *Pœnicum* pro *Pœnis.* Thucydides non semel lib. I. ϗ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν, pro ϗ οἱ ἄλλοι

Ἕλληνες. Et lib. iii. ἐκ παντὸς τὸ Ἑλληνικὸν, id eft, inqu
Scholiaftes, καὶ πάντες οἱ Ἕλληνες. Sic dici poteft. *Iberi*
cum pro Iberis; *Germanicum*, pro Germanis &c.

Certè habitum vertere.

Vulgò eft, *aut doleat, certum habitum vertere &*
Melius alij, *aut doleat. Certe habitum vertere &*
Principium eft nempe argumentationis nouæ.

Fungitur & ipfe mundus interim.

Fungitur etiam ipfe mundus, munus illud ve
tendi habitum fuum, fiue vices habet fuas, vt ten
porum, tempeftatum &c.

Interim eft, non *interdum*, vt interpretati aliqu
Agit enim mundus vices fuas non interdum, fe
affiduè. Sed *interim* eft, interea. Nempe dum *natu*
ra munus fuum illud habitum vertendi fungitu
mundus interea fiue interim etiam ipfe munus i
lud fungitur, fiue fimul & natura & mundus h
verfionis munere fungitur. Scire operæpretiu
eft, quid natura, quid mundus. Mundus eft vn
uerfitas ipfa rerum: natura eft mundi efficient
fiue efficiēdi vis, fiue vt fcholafticè dixeris, Mu
dus ex ordine ad effe: natura ex ordine ad oper
tionem. Ariftoteles c. iii. lib. iv. Sapientiæ.

Ifte quem incumbimus.

Mundum incumbimus, quia incolimus eum. que
quifque locum incolit, eum incumbit fiue inc
bat, fiue in eo cubat. Plautus Cafina fc. I. *Rure i*
cubabo vfque in præfectura mea.

Vidt

Viderit Anaximander.

Fungitur mundus etiam ipse munus hoc suum variationis, neque tantum hic quem incumbimus, sed etiam alij, si, vt Anaximandro visum, plures sunt. Anaximandri enim sapientia illa, esse mundos innumerabiles. Theodoretus ad Græcos sermone iv. Neque solus Anaximander, sed plera pars veteres Physici in ea sentētia. Et hodiéque nōn pauci neque de deteriore nota mathematici.

Viderit si quis vspiam.

Aut si quis alius mundus, *ad* siue apud *Meropas*, vt Silenus fabulatus olim. Narrat Tertullianus ipse c. xxv. contra Hermogenem. Sed magis & ipso quasi horreo tradit Ælianus Variis c. xiix. lib. iii. Ex quo sciri potest, mundum illum *ad Meropas* alium, esse nouum orbem Americanum, sed à Sileno fabellis, quasi *pampini foliis implicitum inuolutum*. Neque dissimiliter Auitus clamator apud M. Senecam Suasoria 1: *Vltra Oceanum alium nasci orbem.* Et Clemens Romanus D. Petri discipulus, apud D. Hieronymum ad c. xi. epist. ad Ephesios; *oceanus, & mundi qui trans ipsum sunt.*

Penes aures Midæ blatit, aptas sanè grandiorib. fab.

Nolenti Tertulliano est cōrrectio illa, quam obtrusere aliqui, *aptas sane grandioribus fabulas*. Eámque sic interpretati vt satis constet, non peruisam eis mentem Septimij. Hoc autem Septimius noster dicit. Silenus penes aures Midæ blatit, aures

aptas non his tantùm fabulis quæ grandes, sed etiam aliis grandioribus siue ineptioribus fabulis, quoniam asininæ & vegrandes auriculæ illius regis, vt paria paribus sint. Rectius autem scribitur *blactit*, quam blatit, aut blattit. Est enim ex Græco βλαξ, βλακὸς. Festus, Glossæ *Blatto*, φλυαρῶ. Melius, Blacto.

Sed etsi quem Plato æstimat.

Aut si quis etiam alius Platonis mundus exemplaris, siue idea mundi, de quo mundo Plato in Timæo, Theodoretus ad Græcos Serm. iv.

Etiam ille h. necesse e. p. mutare.

Nam si mutatur antitypus hic mundus, etiam ille protypus mutetur necesse est. *Proinde* autem, est consimiliter, siue *sic*. Glossæ *Proinde*, οὕτως.

Quippe si mundus.

Argumentatus fuit à pari.

Si mundus hic apotypus variat, etiam idea illa, siue mundus protypus mutat.

Apotypus autem mutat. Ergo

Etiam protypus. Confirmat nunc adsumtum ex causis.

Quod ex diuersis substantijs & officijs constat, id mutetur necesse est.

Hic mundus ita constat. Ergo

Mutetur necesse est. *Diuersis substantiis*, vt cælo, sole, luna, stellis, mari, terra: diuersis officijs, vt conuersione cæli ab oriente in occasum, & stellarum errrantium viceuersa, flexu orbis signiferi, &c.

Neq; enim mundus, si non vt mundus.

Probatio superioris adsumti.

In quo *diuersa in vnum, & vnitas illa per demutationem diuersa est,* & *discordia illa diuersitatis, per vices federata est,* id ex diuersis substantiis & officiis constet necesse est.

Mundus hic apotypus eiusmodi est, Ergo

Ex diuersis constat substantiis & officiis.

Vulgi scriptura est. *Neque enim mundus, si non vt mundus. Proinde &c.* Aliqui correxêre, sed extra scopum. *Neque enim mundus, si non vt mundus, proinde: diuersa in vnum &c.* Nam proinde Septimius intelligi vult consimiliter. Neque enim mundus ille protypus est mundus, si non est vt hic mundus: si non *proinde* siue consimiliter *diuersa in vnũ, si non denique &c.* Recta itaque & aperta scriptura est. *Neque enim mundus, si non vt mundus, proinde &c.*

Diuersa sunt. Denique.

Melius, *diuersa sunt, denique &c.* nempe, *si non denique &c.*

Nostra certè metatio.

Confirmatio adsumti superioris, de quo dixi antenùs. *Quippe si mundus &c.* Est autem hæc iam argumentatio ex enumeratione partium huiusce mundi apotypi, qua docet partes eius omnes vicibus suis mutari.

Metatus siue *metatum* siue *metatio*, hospitium propriè militare, vt Nou. Theodosij xxxii. De metatis. Inde tralatum id nomen ad hospitia queuis, vt

Theodosij & Iustiniani C. De metatis Isidori c. iij. lib. xv. vbi absurdè illud, *metatum* dici hospitium, *quia mutetur*, & *castra metari* dicta, *quia mutentur*. Atqui est metari, quasi metis positis definire, describere, adsignare. Sic *metatum* pro hospitio Gregorij Turonensis Histor. Francorum c. ij. lib. x. c. xliv. lib iix. c. xv. lib. iii. *Metatum* pro Synagoga, Nicetæ Isacio Angelo & Alexio F. A castris itaque ad hospitia quæuis militaria hic sermo, inde porro ad paganica.

Sol stitionibus annuis.

Solis stitiones annuas dicere videtur æstiua solstitia. Nam hæc propriè solstitia. Glossæ, *solstitium*, ἡλιοστασία. Hinc *solstitium* pro annuo Iuuenal. Sat. iv.

Luna modulationibus menstruis.

Modulationibus, mensuris. Sic modulari c. iix. De baptismo c. xi. De oratione.

Interdum deijcit quid, interd. resuscitat

Deiicit morte, resuscitat in vitam. Stellas generi humano rebúsq; ceteris nascendi & denascendi esse arbitras, persuasêre olim mathematici, C. Plinius c. xlix. lib. vij. c. lxxix. lib. ii.

Nunc subdiuo splendidus.

Subdiuo, serenitate proliciente extra tectum. Glossæ *subdiuum*, ὕπαιθρον, & ὕπαιθρος *Subdiuus*. Frustra illi sunt, qui in Glossemanticis suis, apud Aristophanem Auibus legunt ὑπαιθριάζειν τὰς νεφέλας, quasi ὑπαιθριάζειν sit, *subdiuare* aut *serenare*. Aristophanes ipse ἀπαιθριάζειν dixit, malè Scholiastes ὑπαι

ν...ίζειν. Id enim eſt, non ciſpellere nubes, & ſerenare, ſed contrahere & ſub diuum agere.

Aut ſi quæ miſſilia cum imbribus.

Eleganti per ſimilitudinem ſiue analogiam metaphora, cum miſſilibus comparauit grandinem. Abſurdè aliqui, *miſſilia* intellexere fulmina. Nihil tam diſſimile ſparſioni miſſilium Romanæ.

Dehinc ſubſtillum.

Poſt imbres, *ſubſtillum*, de quo Feſtus. Sic Gloſſæ ὑποστάζω *Subſtillo.* Hinc etiam ex ſimilitudine, Subſtillare, σραγγουριᾷν Gloſſæ.

Sic & mari fides infamis.

Ex vetere veriuerbio Thaletis Mileſij, Ἄπιστον ἡ θάλασσα. *Infida res mare.* Stobæus Serm. xxiix. Et Perſarum regi apud Herodotum lib. vij. Mare δολερὸς ποταμός. *Doloſus fluuius.* Lucretius lib. ii. *Infidi maris inſidias &c.* L. Seneca epiſt. iv. & epiſt. xxx. Ariſtot. Problem. v. Sectionis xxiii.

De tranquillo probum.

Corrigunt aliqui *pronum*, alij *procum*, alij *probrum.* Sed alios deliratione vincunt, qui *probroſum. Tranquillum* mare Septimius dixit, in quo venti ſecundi, vt Plauti Ciſtellaria Sc. 1. *Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt, Tranquillo mare.* Opponit ergo nunc Florens mari *tranquillo*, mare *probum*, ſiue prohibum, ſiue prohibens à portu. Sed fortean eſt, vt ſcripſerit Tertullianus, *procitum*, id eſt, incitatum ſiue commotum. *Procitum*, porrò ſiuè longè citatum, vt *incitum*, incitatū: *excitum, concitum &c.*

De flustris temperatum.

De flustris, de malacia. Festus. *Malacia & tranquillitas maris*. C. Cæsari lib. iii. belli Gallici. *Mollities maris*, Sulpicio Seuero Dialogo 1. De vita S. Martini.

De decumanis inquietat.

Acceperit aliquis, *inquietat*, molestum est, quiescere non patitur. Sed inepta sententia est, nec vero simile, cum antegressis omnibus antithetis nomina reddiderit auctor, in postremo transire ad verbum voluisse, & pignus dare ausim, Tertulliani stilo fuisse, *de decumanis in quietos. Decumanis fluctibus*, contrarij *fluctus quieti* vt Æneide v.

Mene salis placidi vultum, fluctusq; quietos,
Ignorare iubes &c.

Terram temperatim vestiri amantem.

Temperatim, per quatuor tempora siue partes anni, siue horas, vt Græci vocant Isidor. c. xxxv. lib. v. *Tempora anni sunt quatuor ver, æstas, auctumnus, hiems &c.* Tres tantum recenset nunc Tertullianus coloribus differentes, ver colore *viridi*: æstatem *flauo*: hiemem, *cano*. Potuit adiungere, auctumnum, *vario*. Vario nempe fructuum colore. Atticè autem, *vestiri amantem* ἀμφιέννυσθαι φιλοῦσαν, id est, solitam. Ammian. Marcellinus lib. xvii. *vt rebus amat, fieri dubiis & turbatis.*

Prope sis eandem negare.

Atticè ἐγγὺς ἧς τοῦ ἀρνεῖσθαι Plato in Politic. Ἐπειδὰν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν. *Cum quis prope sit opinari,*

se breui moriturum.

Et montium scapulæ decurrendo.

Veteres libri, *& montium scopulæ decurrendo.* Corrupere, *scapulæ.* Quasi voluerit Florés dicere *montium scapulas* τῶν ὀρῶν σωμάτων. Sed planè voluit, *scopulas*, & intelligi vertices siue capita montium, siue ἀκρώρεια quæ tanquam scopulæ siue speculæ. Σκοπὴ σκοπιά, specula: hinc *scopulæ* speculæ summæ, siue acumina ipsa montium. Omnino quidem Græca magis quàm Latina huiusce pallij textura est. Sic de montium hac mutatione Ouidius lib. xv.

-- *& eluuio mons est deductus in æquor.*

Et fontium venæ ebullando.

Ouidius lib. xv. *Hic fontes natura nouos emisit, at illic Clausit ----*

Et fluminum viæ obumbrando.

Obumbrando, siluis natis vbi ante flumina. Vide sis L. Senecam c. xi. lib. iii. Natural. Quæst. Dionem Xiphilini Traiano. Ouid. lib. xv.

--- *Tremoribus orbis*
Flumina prosiliunt, aut exsiccata resistunt.

Irata Critica Dea, rescripsère aliqui, *obambulando.* Rectè autem illi qui interrogationis notam adposuère.

Mutauit & totus orbis.

Mutauit, nempe aliud ex alio, vt supra. Errant qui persuasi dictum Atticè, *mutauit*, pro mutatus est, & instar esse illius Catulliani in Suffenum, *mutat*, pro mutatur; aut vt A. Gellij c. xxiix. lib. ii. c.

xii. lib. xiix. *Mos mutauit &c.* Sic neque inferius paullò illud, *infima mutauit*, recté acceperis, pro infima mutatus est. Neque illud, *mutat localiter habitus*, est mutatur. Et mox. *Multa & alia huiusmodi detrimenta, habitum orbis mutauêre &c.*

Adhuc maris conchæ & buccinæ pereg. in montib.

Pythágoras Ouidij lib.xv.

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.
Et procul à pelago conchæ iacuêre marinæ,
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.

Etiam Plutarchus lib. De Iside. Θάλασσα γὰρ ἦν ἡ Αἴγυπτος. Διὸ πολλὰ μὲν ἐν τοῖς μεταλλοις, καὶ τοῖς ὄρεσιν διείσκεται μέχρι νῦν κογχύλια ἔχειν. *Mare enim Aegyptus erat. Quocirca multa in scaptensulis siue metallis siuè aurarijs & argentarijs, & montibus inueniuntur hodiéque conchylia &c.* Xenophanes Colophonius apud Origenem libro φιλοσοφυμένων. *In medio terræ & in montibus conrum testæ inueniuntur.* Paullus Orosius c. iii. lib. I. *Lapides in remotis montibus, conchis & ostreis scabros, argumenta esse diluuij.* Narrauit etiam aliquid Alexander Neapolitanus c. ix. lib. v.

Etiam ardua fluitasse.

Frustratoria correctio est, *& in ardua fluitasse.* Vult Afer hic dicere. Adhuc maris cōchæ & buccinæ peregrinantur, quasi cupientes Platoni probare, non campos solum, vt ipse vult, sed etiam montes fluitasse, siue inundatos fuisse mari. Conchæ ipsæ & buccinæ Platonem refellunt. De Platoni

tonis sententia illa Tertullianus Apologetici c. xl.

Sed & enatando rursus infima mutauit.

Aliqui, *rursus infirma*, alij, *rursus informa*. Idq; ex M. SS. aiunt esse. Puto mala manu scripti illi. Et quidem pleræque omnes, quæ in Pallium hoc datæ correctiones, è M. SS. deterioris notæ sunt, vt patescet in progressu. Rectè hoc loco libri communes habent, *rursus infima*, vt constet antitheton, mutauit *ardua fluitando*: mutauit *infima enatando*.

Idem mutat & nunc localiter habitus.

Rectè sic libri communes. *Idem mutat & nunc localiter habitus, cum situs læditur &c.* Orbis mutat habitum suum per loca, cum læditur ac disperit ciuitas aut regio, quæ sita erat in eo. Itaq; exempla mox adponit. *Delum, Samum &c.* Curua illa correctio est. *Idem mutat & nunc localiter, habitus cum situ læditur &c.* Peperit correctionem illam, vt etiam alias plerasque, nimis quæsita in Tertulliani verbis ἀμεταβασία. Et verò neque ipsi qui sic corrigunt, satis in eo constantes sunt, sed trepidant, *læditur* melius an *luditur*.

Cum inter insulas nulla iam Delos, arenæ Samos.

At hodiéque Delos & Samos in ditione Turcica. Hunc scopulum sic prætervecti aliqui, vt interpretati sint. Nulla iam Delos, præ quàm fuit olim, id est, iam non celebrata & frequẽs, vt olim: sed deserta, vt Pausaniæ Arcadicis. Sed refellit in-

terpretationem iftam Tertullianus ipfe, cum fubiungit, *in Atlantico quæritur*, fatis fententiam fuam prodens, difperiffe infulam illam Atlantici maris, æquè vt Delum Et Apologetici c. xl. *Legimus*, inquit, *Hierapolin, & Delon, & Rhodon, & Coon infulas, multis cum milibus hominum peffum abiiffe &c.* Et paullò mox. *Memorat & Plato maiorem Afiæ & Africæ terram, Atlantico mari ereptam &c.* Satis arguit fe non de vaftitate & folitate harum infularum agere, fed interitu, fiue non dicere ab hominum cultu defertas infulas, verùm mari obrutas. Neque arbitror ita menti cuiufquam male futurum, vt refcribillare velit, *cùm inter infulas, nulla olim Delos*. Quid enim ad Samum hoc, aut infulam Atlantidē? Critica fcabies, aut infcitiæ nebula, aut etiam fcæuior aliquis morbus, hanc quæftionem peperit. In libris antiquis perfcriptum erat, *cùm inter infulas, nulla iam Delos, arenæ Samos, & Sibylla non mendax. Aeon in Atlantico &c.* Non viderunt nefapi, aut diffimularunt mali, illud (*& Sibylla non mendax*) argumentationis vice ab auctoritate fiue teftimonio Sibyllæ, à Satyrico noftro, interpofitum effe, cuius talis formula.

Si Sibylla mendax non eft, iam nulla eft Delus, Samus arenæ &c.

Atqui Sibylla mendax non eft.

Nulla ergo iam Delus &c.

Dixit, *nulla iam*, quia cùm Sibylla futurum dixerit, tam id certum eft, atq; illa quæ iam euenêre. Itaque foliti vates ea quæ futura, fic quafi præfentia ponere, etiam in libris facris. Refpicit verò hic nofter ad illum Sibyllæ verfum lib. iv.

Δῆλος δ' οὐκ ἔτι δῆλος, ἄδηλα δὲ πάντα τὰ Δήλου.

Delus non iam paret, & omnis Delus Adelus. Atque vt nunc Tertullianus Delum & arenas Sami, sic etiam Sibylla iungit. Καὶ Σάμος ἄμμος. *Et Samus arenæ.* Et mox, Δῆλος ἄδηλος libro eodem. Et lib. iii.

Ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται Δῆλος ἄδηλος.

Et ad idem exemplum lib. vii. & iix. Sed illi suis sacris Sibyllam excisse voluerunt, itaque fecêre, vt legeretur *Samos (& ille non mendax) Aeon &c.* Transtulêre auctoritatem ac testimonium à Sibylla ad Platonẽ, & Tertulliano subruerunt argumentationem suam. Frustrationem illam, aut morbum, secuta deinde, vt talem patellam dignũ operculum, correctio illa, *nulla iam Delos, Arene, Samos &c.* aut non minus inepta, *nulla iam Delos, Rhene, Samos.* Ex eodem illo inscitiæ fonte, euariatio Apologetici c. xl. quem locum paullo ante adscripsi. Nam Hierapolim refecêre alij *Iberam, Napeam*, alij *Hieram, Napeam.* At Florens ipse, planè Hierapolin voluit, & cum dicit, Legimus, intelligi vult, in oraculis Sibyllæ. Sic nempe Sibylla de Hierapoli lib. iii. & v. De Rhodo eadem lib. iij. Etiam de Coo Tertullianum ibi legisse, nullus dubites. Ergo Tertullianum etiam deinceps inter eos censeamus licet, qui oraculis eiusmodi Sibyllinis vsi pro testimonijs, & sciamus pondus ijs oraculis fuisse & auctoritatem etiam apud non Christianos, vt Carthaginienses quibuscum ei nunc disputatio est.

Aeon in Atlantico.

Hic principium periodi nouæ. Antecedentia exempla sunt de scriniis Sibyllinis: hoc vnum se-

quitur nunc ex Platonis Critia siue Atlantico. Itaque πλεία σιγμὴ post illud, *& Sibylla non mendax. Etiam in Atlantico &c.* Ex articulo. *Etiam*, natum illud portentum verbi *Aeon &c.*

Libyam aut Asiam adæquans.

Ex Platonis Atlantico ipso, & Tertulliani Apologetico c. xl. liquet, Tertulliani stilo fuisse *Lybia & Asiam adæquans &c.*

Italiæ quondam latus.

Apologetici c. xl.

Plaga discidij.

Tangit nomen Rhegij, de quo narrat Geographus lib. v. C. Plinius c. iix. lib.iii. Iustinus lib. iv. Iulius Solinus c. xi. Eustathius in Dionysium.

Nomen vitij mari induit.

Minus rectè alij, nomen vitij mari imbuit, &c. ex mala M. SS.

Non exspuentis naufragia, sed deuorantis.

C. Sallustius tamen apud Seruium ad Æneid iii. etiam Charybdim exspuere, siue *egerere* ait *naufragia.* Et quidem etiam Homerus fine libri Odyssei xii. Dici posset, Tertulliani hæc naufragia esse naufragos homines, eósq; non exspui à Charybdi viuos. Sed ita non distinguitur à Scylla.

Et frustra ager est, & vrbes retro.

Melius alij, *& frustra ager est: at vrbes retro &c.* Retro siue olim fuere vrbes in Palæstina,& popu-

hi frequentes. Latinus Pacatus Panegyrico Theodosij, *Vltra omnes retrò principes &c.* Ager autem frustra est, qui sterilis est. Frustra enim agitur in eo. Ab agendo agri nomen.

Et solus audiebat.

Solus, inquiunt, *Lot audiebat iustus*. Extra orbitam illi. Alij corrigunt, & *sol sua videbat*. Prorsus extra oleas, & longè longéque ab omnium scripturarum vestigijs. Paullò illi propius, *qui & solum audiebat*, id est, parebat cultori, neque *ager frustra erat*. Parere, audire, vt lib. 1. Georg.

---- *neque audit currus habenas.*

Sed planè quidem Tertullianus voluit, *& solum viuebat.* Testis locuples ipse cum subiungit, *& propinquitas maris iuxta cum solo mortem bibit &c.* Ante viuebat & mare & solum, tunc vtrumque, mortem bibit, ac viuere desijt. Ab imbribus solitis terra vitam bibebat: ab illis imbribus ignium, mortem bibit &c.

Impietas ignium meruit imbres.

Libri communes. *Dehinc vt Deus censor esset impietas ignium meruit imbres: hactenus Sodoma &c.* Longissimè illi deuij, qui relegunt. *Dehinc vt Deus censor esset impietatis, ignium meruit imbres, hactenus Sodoma, & nulla Gomorra &c.* Quomodo enim ad illud, *ignium meruit imbres*, conueniet illud, *& cinis omnia.* Et verò neque *hactenus Sodoma*, siue Sodoma quæ iam fuit, neq; *nulla Gomorra*, siue quæ iam non est, meruit ignium imbres, sed Sodoma, Gomorra florentes, siue non venêre ignium imbres illi, cum Sodoma & Gomorra nulla, & cum cinis

omnia, sed missi vt Sodoma & Gomorra nulla es-set, vt cinis omnia essent &c. Voluit ergo Septimius, *dehinc vt Deus censor esset, impietas ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, & nulla Gomorra, & cinis omnia &c.* Adclamatio est, *Hactenus Sodoma &c.* Perijt Sodoma, & nulla est Gomorra, & omnia cinis &c.

Et Tuscia Vulsinios pristinos deusta.

Tuscia deusta, vbi Vulsinij. Atticè. Narrat C. Plinius c. lii. lib. ii.

Quo magis de montibus suis Campania speret.

Speret de montibus suis, metuat incendium Vesuuij montis. Sperare pro metuere Atticè & Latinè, nota res triuijs.

Erepta Pompeios.

Atticè vt ante, *Vulsinios deusta.* Narrat C. Tacitu Annali xv. Dio Xiphilini, Tito.

Sed absit.

Falluntur qui negant, detestationem esse omi nis. Nam & detestatur omen illud suum, vt mo etiam votum facit pro Asia & Africa.

Asia de soli ingluuie.

Ingluuiem soli dixit, pro hiatu terræ, siue cha mate, neque dissimiliter in Glossis χάσμα, vorag Vt etiam Tertullianus mox ipse. Interpretes hi narrauêre historias, de motionibus terræ Asia

rectius narrauissent de hiatibus. Aliud *ingluuies* siue *hiatus*, siue *vorago* terræ: aliud terræ motus. Voraginis exempla C. Plinij c. xci. lib. ii. Atque is rectè hiatum ac terræmotum distinguit c. lxxix. & xxc. lib. ii. c. xiv. lib. xxxvi. & vtroque malo grauiter conflictari Asiam ostendit: leuiter Gallias & Ægyptum. Plerumque autem etiam terræ motio & hiatus concurrit, vnde illud in Glossis. *Χάσμα, terræ fragor.*

Vnicis castris fraudatis expiata.

Tangere videtur historiam, de castris Cambysis arena obrutis in Africa, eaque dicere *fraudata*, intelligens fraudata prandio suo. Obruta enim dum pranderent. Narrat Herodotus lib. iii. Verum illa non propriè *vorago*, aut chasma fuit, sed *χῶμα*, siue arenæ adgestio.

Si tamen Ninus regnauit primus.

Sic libri communes, *si tamen Ninus regnauit primus, vt autumat superiorum profanitas (fermè apud vos, vltra stilus non solet) ab Assyriis si fortè æui historiæ patent, &c.* Aliqui relegunt, *si tamen N. r. p. v. a. s. profanitas, fermè apud vos vltra stilus non solet, Assyriis, si forte cui historiæ patescunt &c.* Et cui pro æui se reponere aiunt ex M. SS. Sanè, prorsus ex mala M. ss. Pugnat enim lectio illa cum Tertulliani sensu acriter, qui ex communi lectione apertissimus est. *Siquit regnorum vices recensere, tam inde à Nino*, primo in terris rege, si tamen Ninus regnauit primus, vt autumant superioris memoriæ scriptores profani, (nam fermè apud vos vltra stilus non solet repetere antiquitatis memoriam) *ab Assyrijs si forte æui*

historiæ patefcunt &c. Vt ſi diceret. Si tamen primus Ninus, ſi rectè principium hiſtoriarum ducitur ab Aſſyriis, cum capiendum ſit à Iudæis. *Ab Aſſyrijs* autem *aui hiſtoriam patefcere*, eſt, Aſſyriorum res quaſi ianuam hiſtoriarum eſſe, ſiue ingreſſum ad omnium aliarum gentium hiſtorias. ſic enim perſuaſi ſcribæ omnes non Chriſtiani. Diodorus lib. ii. Πρῶτος τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων. *Primus eorum qui miſsi in hiſtoriam & monimenta, Ninus eſt Aſſyriorum rex.* Iuſtinus lib. I. Primus omniū Ninus, rex Aſſyriorum &c. Paulus Oroſius c. ii. lib. ii. *Omnes hiſtoriæ Romanæ à Proca exoriuntur, omnes hiſtoriæ antiquæ à Nino incipiunt.* Malè vulgò abeſt illud, *Omnes hiſtoriæ Romanæ à Proca exoriuntur.* Melius, *exordiuntur.* ſimilitérque Oroſius idem c. I. lib. I. Ergo etiam Euſebij temporum libro initium eſt à Nino. Hinc itaque iam patet, quàm abſurdè ex delira M. SS. pro *aui* repoſitum, *cui*, & quàm codic. Vaticano hic nulla, vt paſſim alijs locis, fides.

Qui verò diuinas lectitamus.

Ab Aſſyriis & Nino rege pateſcunt profanarum ſcriptionum hiſtoriæ: ſacrarum autem literarum hiſtorię multo antiquiores ſunt. Nos enim Chriſtiani ab orbe ipſo condito, veræ hiſtoriæ *compotes ſumus.* Eadem gloriatio Paulli Oroſij c. I lib. I.

Denique ſi quid mare diluit.

Aliqui tanquam de re magna monent, melius eſſe, *deluit.* ſed caſſa illa diligentia eſt. Nam vetus ſcriptura eſt, *deiluit*, noua *diluit*, mendoſa, *deluit*.

Aut

Aut si proba illa, tamen aliud deluere, nempe non inundare, sed abluere, itaque nec in hunc locum rectè conueniens. Rectè in Glossis, *Diluuium* κατακλυσμός. Rectè. Minus rectè in iisdem. *Deluuium* κατακλυσμός, nam id magis ἀποπλυσμός. Sed fuerat ibi antiqua manu. *Deiluuium*. Rursus in iisdem malè, *Dilue*, ἀπόπλυνε, pro Delue. Rectè autem. Diluit, διέπλυνε, ἐξέπλυνε. Et κατακλύζω *Diluo, Proluo, Inundo*. Κατακλυσμός. *Diluies, Diluuium, Inundatio*.

Cælum texit.

Texit, vt Sodomam & Gomorram imbribus igneis, Vulsinios fulmine. Inepta rescriptio est, *cælum adussit*.

Maiore ambitu terra cassa.

Latiùs quàm hodie vacua. Neq; necesse rescribi, *maiorem ambitum*.

Occuparat, sibimet soli erat.

Frustra sunt qui rescribillat, *occuparat sibimet, soli erat*. Melius enim, *occuparat, sibimet soli erat &c.* id est, non cogitabat de aliis. Patet cum sequitur, *itaque cogitans omnia sibi &c.*

Itaque cogitans omnia sibi domum.

Sic libri communes. *Itaque cogitans omnia sibi domum, intelligens alibi &c.* Nullo idoneo sensu. Scripserat Tertullianus, *occuparat, sibimet soli erat, itaque cogitans omnia sibi. Demum intelligens alibi stipantem copiam &c.* Diu homines fuêre sine commercio, & vt quæque gens locum aliquem occupauerat, *sibimet soli erat*, siue non cogitans de aliis, atque ita si-

bi omnia cogitans, siue omnes in se vertens cogitationes: *demum* siue progressu temporis, cum intellexêre, alibi copiam rerum certarum esse, alibi inopiam, consuluêre siue consilium cepêre *runcandi* atque *ruspandi*. Runcandi de sua copia, ruspandi de aliena. *Runcare* siue *runcinare*, est herbas elidere inutiles, aut superfluentes. Glossæ Βοτανίζω *Runco*. Isidorus c. ii lib. xvii. c xiv. lib xx. Dixi ad leg. xii. Tabul. c. lx. *Ruspari* autem siue *ruspare* est, *quærere, scrutari*. Festus, Marcellus.

Vt inde velut ex surculis.

Vt, pro, *ita vt*, vt Græcis ὡς vel ὥς τε. Ex vicissitudine commercij, inquit, exstitisse migrationes gentium.

Per vbique orbis.

Non felicissimè imitatus Atticum διὰ πανταχοῦ γῆς. Nam hoc quidem rectè, pro, διὰ τῆς γῆς, πανταχοῦ. Sed non æquè rectè, *per orbis vbique*, pro per orbem vbique.

Scythæ exuberant in Persas.

M. SS. *Scythæ exuberant Persas*. Quod magis Tertullianicum est. De his autem migrationibus notæ historiæ, & declarat eas Tertullianus ipse c. xxx. De anima.

Chaldæum semen in Ægyptum educatur.

Alij, *adducitur*. Sed videri potest, Tertulliano educatur esse pro educitur, vt viceuersa educitur pro educatur. Donatus in Adelphos.

Herculea posteritas, qui Temeno pariter.

Rescribunt, *Herculea posteritas, qui à Temeno, pariter &c.* Sed nolenti hoc Tertulliano est. Rectéq; libri communes. *Sed & Herculea posteritas, qui Temeno pariter Peloponnesum occupando producunt &c.* Id est, qui cum Temeno in Peloponnesum profecti, eam occupando producunt, siue, occupando quasi de obscuritate & solitate, in lucem frequentiámque producunt, siue ex obscura desertaque claram celebrémque reddunt. Tangit Pausanias in Corinthiacis. *Pariter Temeno* autem dixit, pro cum Temeno, quasi duce migrationis, & *νεοπολίας*. Itaque & huiusce Temeni ducis nomine Temenidas vocauit c. xxx. De anima. Sic etiam mox, *Iones Nilei comites.*

Sic & Iones Nilei comites.

Pausanias in Achaicis. Tangit in transitu etiam C. Plinius c. xxix. lib. v.

Sic & Corinthij cum Archia.

Pausanias Eliacis lib. 1. Diodorus Siculus lib. 1.

Præsentis imperij triplex virtus.

Frustra sunt illi, qui interpretati de Septimio Seuero, & filio eius Antonino, & Claudio Albino. Refelli eos iam à principio.

Quot barbari exclusi.

Exclusi, firmatis imperij clusuris, de quibus dixi ad Eumenij Rhetoris Augustodunensis, siue Augusto-Flauiensis postulatione pro Menianis. *Exclusi* etiã

muro transuersim per Britanniam ducto intra Oceanum. De quo muro Dio Xiphilini in Seuero, Herodianus, Ælius Spartianus, Tertullianus ipse contra Iudæos, Alij.

Quot census transcripti.

Melius perscripti in tabulis census, senatorum, equitum, quotidianus, amplissimus: & professionales natales, censuales, quam oram euoluere nunc operæ non est.

Quot ordines inlustrati.

Accipiunt aliqui, de tribus militum legionibus, quas, vt est apud Dionem lib. lv. Seuerus adiecit. Sed magis est, vt Septimius intelligat, ordines, senatorium, equestrem, iudicum, alios, purgatos, cum per bella ciuilia, multitudine indignorũ turpati fuissent. Vt Augustus senatorium ordinem pristino splendori reddidit apud C. Suetonium c. xxxv. Dionem lib. liv. Sic de Alexandro Seuero siue Pio Ælius Lampridius. *Vbi ergo augustum agere cœpit imperium, remouit iudices omnes à repub. quos impurus ille Heliogabalus, ex genere hominum turpissimo prouexit: deinde senatum & equestrem ordinem purgauit. Ipsas deinde tribus, & illos qui militaribus nituntur prærogatiuis, purgauit, & palatium suum, comitatúmque omnem &c.*

Et cacto & rubo.

Portentum verbi, *& cacto*. Fecêre aliqui *exacto*, id est, inquiunt, *eiecto*. Alij *exsecto*, alij *resecto*. Ineptè omnia. Præstare ausim, Tertulliani stilo fuisse, *& carecto, & rubo &c. cacto* illud natum ex nesci-

to compendio scripturæ.

Et Midæ rosetum.

Herodotus lib. iix. Tertullianus ipse c. xiv. De corona militis.

Quid deñotas hominem.

Denotas, valde notas, vt oculis, voce, digito. Cicero inuectiua. I. *Notat & designat oculis &c.*

CAPVT III.

Mutant & bestiæ pro veste formam.

Pro veste, inquiunt, *id est, prout vestiuntur.* Hoc, Tertullianus ipse refellit, cum subiũgit. *Quanquam & pauo pluma vestis &c.* ἐπιδιορθώσει corrigit, quod negauerat vestiri bestias, & dixerat, non vestem eis, sed formam siue colorem qui cernitur exterius, *pro veste*, siue quasi vestem mutari.

Quanquam & pauo plumea vestis.

Sic Clemens Alexandrinus Pædagogi c. x. lib. I. Anitio τὴν τῶν πτερῶν νεοφυΐαν, esse νεαρᾶς ἐσθῆτος δίκην, *nouas pennas, pro veste noua esse.*

Et quidem de cataclitis, imò omni &c.

Delent articulum, de, & legunt, *& quidem cataclitis, imò omni &c.* & sequitur varam illam, vt vitia, interpretatio mirifica. *Cataclita, vestes stragulæ, quæ in cataclitis*, siue lectulis accubitorijs, siue tri-

cliniaribus. Distorta illa & correctio & interpretatio. Vera Tertulliani scriptura est, *vestis, & quidem de cataclistis.*

Cataclistæ vestes quæ sint, patescet illa L. Senecæ pictura c. 1. lib. 1. De tranquill. *Non ex arcula prolata vestis, non ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa &c.* Duplex nota ibi vestis cataclistæ, sive κατακλειστοῦ. Vna quod ex arcula vbi fuerat inclusa; altera quod ponderibus & tormẽtis pressa, vt splenderet. Pressæ nempe illę vestes primùm, deinde arcis inclusæ, vnde nomen eis *cataclistæ.* Posteriorem notam expressit etiam, Romanas sui temporis delicias stringens Ammianus Marcell. lib. xxiix *Solitas*, inquit, *pressoriis vestes, luce nitentes arbitri, diligenter explorat &c. Solitas pressoriis vestes*, id est, cataclistas. Sic L. Apuleij lib. xi. *Eas amœnus lectissimæ iuuentutis, veste niuea & cataclista prænitens, sequebatur chorus &c.* Hinc itaque Fortunatus Venantius lib. iv. De vita S. Martini, *cataclistica fila* dixit, pro splendentibus.

Quæ manus artificis cataclistica fila rotauit.

Et lib. iii. *Cycladem cataclistam*, id est, splendentem.

Cycladis, inquit, *aut qualis cataclistis essora rasis.*

Sed non agnosceret versum illum suum si talem legeret Fortunatus. Scripserat opinor,

Cycladis aut qualis cataclistæ purpura rasæ.

Rasa cataclista Cyclas, quæ de pressorio. Etiam Apuleij lib. xi. *Palla Isidis nigerrima, splendescens atro nitore*, id est, cataclista. Sic itaque nunc *vestis pauipinnea, cataclista*, splendens quasi de pressorio & arcula.

Imò omni conchylio depreſſior, quà colla floreut.

Depreſſior omni conchylio, ſplendentior quauis purpura. Vt enim oſtendi, ſplendor eſt de preſſorio, *preſſa veſtis*, ſplendens. L. Seneca Natural. Quæſt. c. v. lib. 1. *Varijs coloribus pauonum ceruix, quoties aliquo deflectitur, nitet.*

Et omni patagio inauratior.

Feſtus, Marcellus.

Multicolor, & diſcolor, & verſicolor.

L. Seneca Narural. Quæſt. c. v. lib. 1. C. Plinius c. xx. lib. x. Et Oppiani lib. ii. De venatione. Paui φολίωτον, χρυσῷ πορφυρόεντι μεμιγμένον αἴθομβρον πῦρ. *Varius auro purpurante mixtus ignis ardens.* Eleganter mixturam expreſſit, quaſi ex colore aureo, purpureo, flammeo.

Semper alia, etſi ſemper ipſa.

Ὀξυμώρως, vt Horatius carmine ſeculari, agens de ſole, *aliuſque & idem naſceris.* Ad quem locum dixi. Eadem argutia illa Iuuenalis Sat. xiv. *Altera ſit eius domus atq; eadem.* Iuſtus Lipſius epiſt. Quæſtione xxv. lib. iv. *Lectio inepta*, inquit &c. Imo enim aptiſſima, ſed peracuta. Oſtendi ego quale id acumen ad Iuuenalis ſatyram illam.

Totiẽs deniq; mutanda, quotiẽs mouenda.

Τρίπτις ἐτυμολογίας, *mutanda, mouenda.* Mutare dictum, quaſi mouere. Tullius Philipp. 1 *Sed ea non*

muto, non moueo. Aliter tamen Varro, lib. v. de ling. Lat.

Nominādus & serpens, licet pone pauum.

Nominandus, ὀνομαστὸς, sed post pauum, siue minus quàm pauus.

In angusta se stipat.

Rectius alij, *in angusta stipat*, vt etiam mox, melius, *nouus explicat*, quàm, *nouum se explicat.*

Cum squamis & anni recurantur.

Anni recurantur, annositas siue senectus recuratur. Errant qui legunt, recursantur.

Marem & feminam alternat.

Refellit Clemens Alexandrinus Pædagogi c. x. lib. ii. qui rectius id quàm Tertullianus scire potuit. Alia etiam fabella est, Hyænam esse ἀρρενόθηλυν, quam explodit Aristoteles c. xxxiii. lib. vi. Animalium historiæ c. vi. lib. iii. De ortu animalium. Etiam Clemens loco quem dixi. Etiam C. Plinius c. xxx. lib. iix. *Vulgus*, inquit, *credit &c.* satis innuens fabellam esse. Sed Ælianus De animalibus c. xxv. lib. i. declamat. serio hanc deliriationem vulgi, vt naturæ historiam.

Veneno languescit in iuuentutem.

Rescribi voluere, *veneno longescit in iuuentutem &c.* & probant, *longescere* illud probam esse vocem. Sanè *prox* siue proba vox illa. sed huic loco non facit. Sententia enim est, ceruum serpente pastum *languescere* siue ægrotare, sed eo ipso languore

puore iuuenescere. Hanc de ceruo historiam neq, Aristoteles, neq; Plinius, neq; alij Physiologi narrauere. Theologi verò nostri eam magni fecere, vt S. Epiphanius Constantiæ Cypri episcopus in Physiologo suo, c. v. narrat ceruum comesto serpente, ni intra *trihorium* siue tres horas sitim aqua restinxerit, emori: aliter autem eo quasi medicamento ad annos rursus alios quinquaginta, vitam producere. Eoque trahit principium Psalmi XLI. *Sicut ceruus desiderat fontes aquarum &c.* In quem locum etiam aliquid non dissimile Glossa. Etiam perfusoriè Isidorus c. I. lib. XII.

Quadrupes tardigrada, agrestis.

Profert M. Cicero lib. II. De diuin.

Aliquid amplius cum leone.

Quasi duo timores, ex duplici nomine.

Audaciam & Græciam nominis.

Reponunt aliqui, *audaciam egregiam nominis &c.* Alij *audaciam & gratiam nominis &c.* Sed neutiquam hic opus cauterio critico. Est enim διὰ τὸ αὐτὸ, *audaciam & Græciam nominis* pro, audaciam Græciæ solitam, in nominibus fingendis, siue audaciam Græcam nominis.

Chamæleon pellicula viuit.

Quæuis præ Tertulliana ista Chamæleontis descriptione pictura eius contemni potest. Adiungere licet Aristotelem c. xi. lib. ii. historiæ animal. C. Plinium c. xxxiii. lib. iix. Iulium Solinum c. xiii. Aurelium Cassiodorum epist. xxxiv. lib v. Cæ-

ſarem Scaligerum Exercitatione cxcvi.

Sed circumſpectu emiſſitij ocelli.

Ex Plauti Aulul. Sc. 1.

Imò luminis puncta vertiginant.

Quaſi vertigine rotantur. στρέφονται κύκλῳ Ariſtoteles. *oculi verſatione adſpicit* C. Plinius.

Vix ſe à terra ſuſpendit.

Sic libri communes, *vix ſe à terra ſuſpendit: molitur inceſſum ſtupens &c.* Melius alij, *vix à terra ſuſpendit, molitur inceſſum, ſtupens &c.* Id eſt, vix à terra ſuſpendit inceſſum & molitur magis incedere quàm incedit.

Stupens, & promouet,

Voluêre aliqui, *ſtupens, nec promouet &c.* ſpecioſè magis ſiue ad ſpeciem rectè, quam rectè ſiue ad Tertulliani ſenſum. Is enim voluit, *ſtupens & promouens*, ὀξυμώρως ex contrarijs, *ſtupens* & tamen *promouens*. Hæc contraria ſunt. Qui enim ſtupet non promouet, chamæleon & ſtupet & promouet, ſiue ſtupidè promouet, ſiue in ipſo ſtupore ſuo aliquantum procedit.

Quàm explicat, ieiunus.

Interpunge, *quàm explicat. Ieiunus &c.*

Ieiunus ſcilicet.

Stolo ille vocabuli, *ſcilicet*, natus ex inſcita peruerſaque interpunctione, de qua dixi.

Semper & indefectus : oscitans.

Lego, *Ieiunus semper & irrefectus, oscitans &c.* *irrefectus* non refectus cibo T. Liuius *Reficere vires cibo.* C. Plinius c. vii. lib. xiix.. *Quadrupedum refectus &c. Refectio*, nempe qua vires cibo reficiuntur, vt Cornelij Celsi c. vii. lib iv. Longe à Tertulliani sensu illi qui legunt, *semper & indefessus*, nec propiores qui corrigunt, *semper & indefectus.*

Follicās ruminat, de vētō cibus, tamē &c.

Inepta correctio, *follicans ruminat de vento cibos.* Magis enim ad Tertulliani saliuam ἀσυνάρτητον illud *follicans ruminat, de vento cibus.* Etiam vulgaris interpunctio mala, de vento cibus, tamen &c. Melius, *de vento cibus. Tamen &c.* Chamæleo *follicans ruminat*, nempe auras, tanquam folliculo suo acceptas, pro paleari. Sic L. Apuleius dixit, *follicantes nares.* Vsus etiam D. Hieronymus epist. xxii. eodémque significatu ibi *follicare* & *follere*. A *follice, follicare.* Glossæ. *Follex*, φύλακος καμίνυ, ἀσκός. Rectè ibi distinguitur, *follex camini*, & *follex vter.* Chamæleo follicat quasi *follice camini.* Cuiusmodi follicationem A. Persius pingit Sat. v. De chamæleonis autem cibo Cæsar Scaliger Exercitatione cxcvi. c. iv.

De corio suo ludere.

Ostendit prouerbium esse cum ait, *quod vulgò dictum* est &c. Eiusmodi illud Martialis epigr. ix. lib. vii.

De cute quid faciant ille vel ille sua.

Multa dicendum fuit.

Lucretius lib. I. *Multa agendum.* Et lib. ix. *Multa clarandum.* Et iv. *Multa ciendum.* Atticè.

Hunc quoque primordio accipitis.

A quocunq; primitùs fictum, à Prometheo, vt Callimachus in Mimiambis & aliâs. Propertius Eleg. iii. lib. iii. an Ione, vt Aristoteles c. ii. lib. iii. De partibus animal. an Vulcano, vt Lucianus in Hermotimo. Errant qui adiungunt de Deucalione. Nec enim à Deucalione primordium, sed reparatio. De tribus itaque figulis innuens Tertullianus subiunxit, *nudus certè & inuestis figulo suo constitit.* A quoquo figulo, ducitis vos hominis primordium, nos Christiani scimus eum figulo suo nudum atque inuestem constitisse, nempe Deo. Et verò etiam quæ sequuntur ad hominis creationem pertinent, quæ narrâtur in libris sacris, libro nempe Rectorum siue Iustorum.

De originis loco exterminat.

Pro, exterminatur.

Credo iam de vestro.

Nudum atque inuestem à primordio fuisse hominem, docere possem ex libris nostris, sed arcani illi sunt, nec aperiendi profanis, neq; necesse profectò est. Nam doceri ex libris etiam vestris potest. Cedo enim quid Ægyptij narrant, & Alexandrini digerunt in annalibus suis, & Afri siue Carthaginienses legant &c. Tropicè Alexandrum dixit, pro Alexandrinis, Afrum pro Carthaginiensibus.

Nequicquam corrigunt, *vt mater legit &c.* neque rectè Alexandrum interpretati, Alexandrum Polyhiſtorem. Dixiſſe auctorem, *Afer legit*, patet, quia dicturus ipſe mox, Hammonem pecuarium, *ouium diuitem*, ſiue πολύμηλον ex Lybia veniſſe. Dixit, *Alexander digerit*, quia ſcriptiones Ægyptiæ plerǽque omnes Alexandrinæ.

Ea tempeſtate Oſiridis.

Meliùs, *de tempeſtate Oſiridis*, de tempore, quo ad Oſirin ex Libya vaſit, ſiue profectus.

Deniq; cum ipſis Mercurium autumant.

Cum ipſis, cum Oſiride & Hammone.

Diglubaſſe oueculam.

Alij, *delibaſſe*, aut *delibraſſe*, aut *dilabaſſe*, aut *deglubiſſe*. Omnia infeliciter, neq; felicior lectio illa communis, *diglubaſſe*. Melius qui legunt, *diglabraſſe*. Vellebantur enim olim ouiculæ. Quid ſit *diglabrare*, & *deglubere* dixi ad C. Suetonij Veſpaſianum c. xiix. *Oueculam* verò ſcriptum eſt antiquè pro, *oueiculam*.

Filum eliquaſſe.

Reclamantibus libris omnibus corrigunt, *filum eduxiſſe*. Neque locus illi correctioni eſt, nam *eliquaſſe filù* auctor dixit, molliter & liquidè, & quaſi ex aqua duxiſſe. Nimirum ex gladio ſiue catagmate, huc tracta lanea, tanquam de aqua, vel fonte. Rei cuiuſuis quę ducitur ad tenuitatem, quaſi filum eſt, vnde *filatim diſtrahere*, Lucretij lib. ii. Hinc illud κατὰ μίτον Ciceronis epiſt. xiix. lib. xiv. ad

Atticum, quod idem dixit, κατ' λεπτὸν epist. xiix. lib. ii. Lucretius, *filatim*. Elicuisse autem ad aquam ex venis magis referretur, quàm filum de tracta lanea, ad quam se referens cogitatione iam Tertullianus, dixit, *tractu prosequente filum eliquasse*.

Quam philyra tenui vinxerat.

Reposuêre, *quam philyra tenui iunxerat &c.* & intelligi voluêre, vestem illam cascam, de tenui philyra fuisse conserta spinis. Magnum scilicet in tali veste præsidium aduersus hiemem fuisset. Tertulliani stilo fuit, *quam tenuis philyra vinxerat*, nimirum è pellibus ferinis primitus vestem fuisse, reuinctis philyra siue tilia. Vinculis aptissimus cortex tiliaceus. C. Plinius c. xiv. lib. xvi. *Inter corticem & lignum, tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula, tiliæ vocantur &c.*

Sed vos omnem.

Vos, noui Carthaginienses, & Græci, non vt alij antiqui.

Cum penes Arachnen diligentiæ officina.

Duplici nomine carpit nouos Carthaginienses. Vno, quia lanitij textrinæque inuentionem Ægyptij, & Alexandrini, & Afri siue prisci Carthaginienses, rectè adsignarint Mercurio, ipsi transcripserint eam Mineruæ: altero, quia laudē illam ipsi fatentur debitam Arachnæ puellę, & tamen secuti Græcanicas fabellas, eam Mineruæ tribuunt.

Exinde materia.

Libri communes, *officina, exinde materia. Nec de ouibus dico &c.* Refecêre aliqui, *officina. Exinde materia: nec de ouibus dico &c.* Incorrecta illa correctio, neque ad mentem Tertulliani est. Poenulus enim hic Africana sua breuiloquentia dicere voluit *officina. Exin de materia. Nec de ouibus dico &c.* Dixi de inuentione textrinæ ac vestium, exin dicẽdum de materia, siue sequitur de materia. Tum κατὰ πρόληψιν. Non de ouibus, inquit, dico tantum, siue materia illa non solum de ouibus lana est, vt Milesijs, Selgicis, Altinis, Tarentinis, Bæticis, siue *quibus Tarentum vel Bætica cluet*, sed etiam de arboribus lana, siue *erioxylon*, siue vt loquitur C. Plinius c. I. lib. xix. lana xylina, etiam de herbis linum, etiam de conchis coma. De *Milesijs* & *Altinatibus*, lanis notæ historiæ. De lana *Tarentina*, dixi ad Horatij epist. ad Augustum, de *Bætica* ad Iuuenalis Satyram xii. Selgicas videtur dicere Asiaticas, quę dicuntur Erythreæ. C. Plinius c. xliix. lib. iix. Selga Pisidiæ oppidum, Geographi lib. xii. & quidem vt ille ait ἀξιολογώτατον siue *præcipuum*. Sed cum ibi Geographus Selgici agri fructus copiosissimè narret, nullum tamen de lana verbum iacit, non omissurus, si lana illa vsque eò commemorabilis, vt componatur à Tertulliano cum optimis. Scripserat si fortè auctor, *& Gallicis*, de quibus Iunius Columella c. ii. lib. vii. *Generis* inquit, *eximij Milesias, Calabras, Apulásque nostri existimabant, earúmque optimas Tarentinas: nunc Gallicæ pretiosiores habentur, earúmque præcipuè Altinates, item quæ circa Parmam & Mutinam &c.* Vt Iunius Columella iunxit *Gallicas*

& *Altinates*, sic Tertullianus coniunctim dixit, *Gal licis & Altinis*. *Exin* verò, antiquè pro, *exinde*, Festus. Sic *dein*, pro, *deinde &c.*

Natura colorante. Sed quoniam.

Sic libri communes, *natura colorante. Sed quoniam &c.* Reposuêre aliqui, *natura colorante: sed quà iam & arbusta &c.* Alij, *natura colorante: sed quod iam & arbusta &c.* Sed mutata solum interpunctione, stare potest communis lectio *natura colorante: sed quoniam & arbusta &c.* Non inquit, iam de ouibus dico, ex quarum lanitio varia in vestes materia: *sed quoniam*, siue, sed quod, ἀλλ' ὅτι, quæ res maioris est vanitatis ac mutationis, etiam de arboribus materia in vestes erioxylum, siue lana xylina, etiam de herbis linum, etiam de conchis coma &c. Hinc liquet in illis quas dixi aliorum rescriptionibus, *iam* articulum, interpositum ignauiter.

Nam & de mari vellera.

Hunc locum dissimulauêre interpretes ceteri, vnus aliquis ex C. Plinij c. xxxv. lib. ix. Iubæ locum adduxit, *de concha, quæ similis pectini, hirsuta echinorum modo &c.* Quid echino, aut eius geminæ germanæ conchæ hirsutæ, horrenti, asperæ, cum velle re ac tela, vestiumue materia, & delicijs? Tertullianus de pinnarum bysso intelligi volvit, quæ tanquam præsigni mollitie lana est, & instar illius bysli, ex quo panni byssini. Byssus est duplex, vnus terrester ex arbore, ex eoque *linum byssinum*, de quo C. Plinius c. I. lib. xix. Pausanias in Eliacis lib. I. Iulius Pollux c. xvii. lib. vii. Philostratus Apollonij c. ix. lib. iii. alter byssus marinus, de pinnis

quarum

quarum lana mollitie non inferior serico. Hæc itaque nunc Tertulliano, *de mari vellera*. Ex arboreo bysso, linum byssinum: ex marino, lana byssina. Ac byssus quidem terrester multiplex, Indicus, Achaicus, Iudaicus, & si qui alij. Horum aliqui de arboribus, vt Indicus, Iudaicus: alij satiui, vt Achaicus, de quo Pausanias Eliacis fine libri ii. Marinus verò vnius modi est, nempe vt dixi, de pinnis, de quo etiam ad locum illum C. Plinij, Franciscus Massarius.

Sed enim etiam de arborea bysso controuersia est. Nam aliis lana est, vt Iulio Polluci: alijs linum, vt ceteris. Hanc rem siue litem iudicare, nobis nunc operæ non est. Dixeris, *conchas* Tertullianus non *pinnas* nominauit. Sanè, quia etiam pinnæ de concharum genere sunt, & conchæ nominantur. C. Plinius c. xlii. lib. ix. *Concharum generis & pinna est &c.* Itaque vt distingueret has conchas à ceteris Pœnulus noster dixit, *muscosæ lanositatis lautiores conchas &c.* Dixit, *muscosæ lanositatis*, quia byssus ille instar musci arborei est, pinnę parte infima, siue acumine, vice vinculi, quo pinnæ religant se ad proximum aliquid. Errant qui huiusce byssi mentionem arbitrati esse Aristoteli c. xv. lib. v. historiæ animal. legúntq; ἐκ τοῦ βύσσου, *ex bysso*. Male pro, ἐκ τοῦ βυσσοῦ, *ex fundo*. Rectéque Athenæus lib. iii. transcribens locum illum posuit, ἐκ τοῦ βυθοῦ, *ex fundo*. Idem βυσσὸς & βυθός.

Hæc de bysso propriè dicto. Communiter autem byssi nomine veniunt etiam bombycinum, & sericum, vt Iulij Pollucis c. xvii. lib. vii. Rectè atque ordine Tertullianus ea distinguit.

Prorsus haud latet materia.

A byssinarum vestium materia & delicijs, ad bombycinas transit, quas, vt dixi, Iulius Pollux in byssinis numerauit impropriè. Est itaque vt si diceret Florens noster, neq; illa solum varietas materiæ vestium est, quam dixi, ex ouibus, arboribus, herbis, conchis, sed etiam alia de vermibus, nempe bombycibus, quæ vulgò etiam notissimæ. Hoc enim est, quod dicit. *Prorsus haud latet &c.*

Araneorũ more scopus idonius se distendit.

Etiam sic de bombycibus C. Plinius c. xxii. lib. xi. *Telas araneorum modo texunt &c.* Rescribunt autem aliqui, *araneorum more scopis idoneis distendit &c.* Magis ad Tertulliani hāc Satyricam saliuam scripseris; *araneorum more scopis, idoneius sed, tendit &c.* proinde, vt si diceret, tendere bombyces vt araneos, sed idoneïus, siue textrinæ industria vinci à bombycibus araneos. *Scopis*, intellige ramusculis arborum, vt mori &c. *tendit* verò, quasi metatur sibi hospitium, aut tentorium figit Æneide ii.

--- hic sæuus tendebat Achilles.

Valerius c. lib. ii. *intra castra tendere. Scopi* ramusculi extremi arborum. Hinc, *vuarum scopi*, Varroni de re rustica c. liv. lib. I. c. iv. lib. ii. Eadémque scopia, M. Catoni c. cxii. De re rust. Etiam *scopulas myrti*, Iunius Columella dixit c. xxxiix. lib. xii. & *scopiones vuarum* c. xxxix. libri eiusdem, vbi male scriptum, *scip...ibus.*

Mox æquè reddere.

Rescribunt, *mox aqua reddere*, & interpretantur,

In aqua flatuere &c. In cóq; longis logis, non alios explicant, sed implicant seipsi. Atqui voluit Tertullianus, *mox se quieti reddere.* Itaque subiungit, *proinde si necaueris, &c.* Prorsus haud latet, bombycem (vermuli genus est) quæ scopis tendit, & dehinc deuorat scoporum folia, bombycem, inquam cum deuorauit, *mox se quieti reddere*, aç si necauisses eam &c. Non dixit, mox emori, sed, *mox se quieti reddere*, quia non emoritur bombyx, sed potius quiescit, quia deinde reuiuiscit.

Animata iam flamine aluo.

Mirifica illa quorundam correctio est, *proinde si necaueris: animata, iam flamina volues.* Et illud, *iam flamina volues*, acrostichium esse à Poëta aliquo, aiunt, puto ex aphantopoli, aut somniorum ciuitate. Neq; rectius illi qui rescripsêre, *proinde se necat, animata &c.* Quid frigidius quàm dicere, bombyx seipsa necat. Omnis hæc miseria illis inde, quod ingeniosi nimis esse, & longè longéque acçersita dicere voluêre. Atqui planissima Tertulliani sententia est. *Bombyx tendit, deuorat, quiescit, parit.* Verbis paucissimis bombycis officium, vitámque & mortem complexus est. *Animata* scilicet, *iam flamine aluo*, quia, vt inquit, Clemens Alexandrinus Pædagogi c. x. lib. ii. ex necydalo stamen. Clementi enim ex verme eruca, ex eruca bombylius, vel necydalus, *ex quo*, inquit, *stamen, vt ex aranęo filum.* Sed Aristoteles, Animalium historiæ c. xix. lib. v. distinguit *bombylium & necydalum*, siue progressionem facit à verme ad erucam, ab eruca ad bombylium, à bombylio ad necydalum. Exque Aristotelę C. Plinius c. xxii. lib. xi. *Ex*

grandiore, inquit, *vermiculo erucæ. Fit deinde quod vocatur bombyx, ex ea necydalus, ex hoc in vi. mensibus bombyx.* Ex Aristotele itaque, Clemente, plinio, Tertulliano intelligi potest, aliam Assyriæ bombycum, de quibus illi agunt historiam esse, aliam nostratium. Assyriis necydali tantum, nostris etiã oua siue aureliæ.

Tantam igitur paraturam materiarum.

Tam varium ac multiplicem ad paratum materiarum ex quibus vestes, *Paratura* vt Lucretio *Positura & dispositura*, atque etiam propertio, Terentio *curatura*.

Ingenia quoque vestificinæ.

Quid *ingenium*, dixi ad c. 1. Ingenia vestificinæ, molitiones atque inuenta vestificum. *Vestificina*, vt *causidicina, iuridicina, mundicina, indicina*. Apuleius lib.vii. Alij. *vestificina* verò etiam *vestificium*. Glossę ἱματιοποιΐα, *vestificium*.

Gentilitus inhabitantur.

Gentilitùs κατ' ἔθνη. Peccant qui corrigunt, *inhabituantur*. Tertulliano, *vestis* quasi domus: vestiri quasi inhabitare, vt animus in corpore quasi domo, sic corpus in veste.

Pars verò passiuitus.

A passim, passiuus, passiuitus, passiuitas, flosculi Tertullianicæ eloquentiæ.

Cum voce vestis intrauit.

Vult pallij nomen Græcum esse, egoque adsen-

tior. A palla enim est pallium, siue pallium à similitudine pallæ, vt rectè Isidorus c. xxiv. lib. xix. qui tamen mox quasi pœnitens benè dicti, *vel*, inquit, *à pellibus*. A pallij deinde nomine, *palliastrum*, vt L. Apuleij Florida 1. Pallę nomen autem ex Græco πάλλειν. Varro apud Seruium ad Aeneidem 1. Eademque Isidorus c. xxv. lib. xix. Neque rectè Varro descifcens à seipso lib. iv. de ling. lat. *Pallam dici, quia foris ac palam sit &c.* Et verò etiam Græci, pallij nomine vsi pro suo. Glossæ, Pallium, πάλλιον.

Cato humerum exsertus.

M. Cato superior, tempore iuridicinæ suæ, non palliatus, quemadmodum ridiculè persuasi interpretes, sed togatus, humero exserto. Humerum toga exserebant rhetores, siue dicentarij & causidici, non autem iudices: siue humerus exserebatur in causidicina ob gestum brachij & manus, in iuridicina verò siue in iure dicundo, tectus erat togà. Itaque Fabius c. vlt. lib. xi. agens de gestu rhetoris. *Operiri*, inquit, ***humerum cum toto iugulo non oportet &c.*** At iudici operire humerum decentius, manum brachij partem extimam aperire, quia nullo gestu opus iudici, & quia id grauius ac simplicius. Patescet legenti Fabium. M. Cato itaque contra maiorum ritus, cum Prætor in iuridicina sua Romę humero exserto esset, habitu quasi palliato erat, siue quasi ad Gręcorum pallium adpropinquabat. Palliati enim subinde soliti brachium exserere, siue quemadmodum Plautinus quispiam ex Milite Sc. xv. dixerit, *expapillare*, aut vt meliùs alij legunt, *expalliare*. Videtur autem M. Cato etiam Prætor, ac ius dicens, ac togatus, ex-

ferto humero esse voluisse, quod summus ipse rhetor ac dicentarius, & fori habitator adsiduus, in consuetudinem sic faciendi venisset. Nihil verò ad hunc Pallij locum, quę obtrusêre nobis alij de Prętura M. Catonis in Hispania, quæ nulla fuit. Neque facit eis locus Valerij c. iii. lib. iv. Neque ex Prætura, sed consulatu profectus Cato in Hispaniam, ex prætura verò in Sardiniam. Plutarchus, alij. Mens itaque Tertulliani est. M. Cato ius dicens *exserto humero*, siue aperto, *non minus palliato habitu Græcis fauit &c.* non minus Græcanici ritus se studiosum declarauit, quam si habitu palliato, siue quam si palliatus fuisset, toga nempe quasi transformata in pallium. Est verò aculeus in Catonem, Græcorum hostem, & tamen se toga sua non vt par erat, continentem.

CAPVT IV.

Quid nunc? si est Romanitas omnis alia.

SIC vulgò editum est. *Quid nunc? si est Romanitas omnia alia, nec vestis tamen admodum Græci estis &c.* Refecêre aliqui. *Quid nunc si & Romanitas omnis: alia nec vestis, tamen admodum &c.* Sed stilo Tertulliani fuit. *Quid nunc? si est Romanitas omnis alia, alia nec vestis, tamen admodum Græci estis &c.* Putauêre librarij superfluere alteram vocem *alia* itaque fecêre illi arietes ingenium suum, & omisêre vt non necessariam. Planus verò Septimij nostri sensus est. Quid nunc porro? etsi est omnis alia vobis Romanitas, id est, omnes ritus Romani, neque

alia vobis vestis quàm Romana, tamen effugere non potestis, quin etiam nunc vos admodum Græcos fateamini, neq; causam esse vobis, quare Christianos tanquam probri loco Græcos nominetis, atque identidem illud nobis conuicium ingeratis, Γραικὸς ἐπιθέτης *Græcus impostor &c.* *Si* pro etsi, vt Plauti Captiuis Sc. II. *Si nos solutos sinat &c.* id est, etsi. Terent. Adelph. *Si maximè fateatur, non est vtile hanc illi dari.* Cicero fine lib. II. De legibus. *Si nos tacemus &c.* Virgil. Ecloga IV. *Si canimus siluas &c.* Etsi canimus. Similiterque Attice εἰ pro εἰ καὶ. *Admodum*, autem πάνυ, κομιδῇ. *Perquàm, valdè.* Glossæ.

Anne ita est? Vnde &c.

Correxêre aliqui. *Græci estis: aut ni ita est? Vnde &c.* Magis ad Tertulliani saliuam lectio communis est. *Anne ita est? Vnde &c.* An negatis ita esse vt dixi? *Vnde ergo gentium in prouincijs &c.* Interrogatione vrget. Anne ita est? si negatis, probo ecce. Pergit mox argumentationis suę aciem explicare, & vincere illud propositum suum, Carthaginienses aliósque Afros, hodièque admodum Græcos esse. Argumentatio autem est ab enumeratione partium, nempe studiorum Græcanicorum, quæ hodiéq; in prouincijs plerísque Africæ *melius exercitis*, nempe agricultione, vigent, vt *palæstra, tonsus, resina, volsella.*

Quas natura agro potius eluctando.

Quæ aptiores agriculturæ, propter vbertatem soli, quàm palæstræ, quæ conuenientior delicijs Græcanicis & Asiaticis, siue quę conueniẽtes causis mollitiei ac seruitutis Græcanicæ. Plutarchus in

Romanicis, Quæst. xl.

Studia palæstræ malè senescentia.

Tropicè, pro, studiosi palestræ, malè senescentes, debiles, cassos, distortos, atque ὠκυμόρους, & μυωνθαδίους. Differit copiosè de his palæstritarum malis Galenus, siue quis alius scriptor est, in Protreptico ad artes. Longe autem à Tertulliano illi deuij, qui corrigunt, *stadia* palæstræ.

Et in cassum laborantia.

Quia inutiles bello & agricultioni palæstritæ. Auctor ille idem protreptici. Et Galenus, de parua Sphæra siue pila. Et ad Thrasybulum. An Gymnastica vtilis curationi valetudinum, Plutarchus in Philopœmene, Lucanus lib. vii. Silius Italicus lib. xiv. Sic Q. Curtij lib. ix. Dioxippus *pugil, saginati corporis, inutilis bellua.*

Et lutea vnctio.

Hęc sequentiáq; malè accepta interpretum plebi. *Lutea vnctio*, est oleum virorum, & ceroma puerorum in palæstra. Rectéque sic Isidorus lib. x. in *Delibutus*. Vtrumque autem Petronio *legitimum oleum*.

Et puluerea volutatio.

Κονίσρα. Plutarchus Symposiacis Problem. iv. lib. ii. Glossæ παλαιςῶν ἀφὴ *Argula*. Lego *Argila*.

Et arida saginatio.

Arida saginatio, victus athleticus qui olim, nempe ficus aridæ, siue caricæ. Postmodo *Pythagoras exercitator*

exercitator eos ad carnes primus transtulit, vt loquitur C. Plinius c. vii. lib. xiii. Eadémque Oribasius Collectionum c. xl. lib. i. Sed ille ibi exercitator est *Goras*, non Pythagoras, verùm corrigendus ex C. Plinio est Oribasius, & legendum Pythagoras. Nam Plinius quin Pythagoran dicere voluerit, nulla dubitatio est, cum vt discerneret hunc Pythagoram à Pythagora philosopho, dixit, *Pythagoras exercitator*, id est γυμναστὴς, siue ἀλείπτης, siue athletarum doctor. Sic capiendum exercitatoris nomen apud C. Plinium, fidem facere potest Oribasius cum ait, *Goras primus*, lege Pythagoras, *Eurameni Samio carnem offerens, hunc vsum antiquauit; &c.* Doctor nempe athletarum, siue exercitator discipulis suis viuendi formulam dictabat, vt tangit etiam Ioannes Cassianus c. vii. lib. v. De institutis renunciantium. Malè autem apud Oribasium esse *Goram* pro Pythagora, etiam Laërtius indicium facit in Pythagora, qui duas & ponit in medio & relinquit opiniones, vnam Sophistæ Fauorini, eundem facientis Pythagoram philosophum & aliptam: alteram eorum qui distinguũt exercitatorẽ à philosopho, & argumentũ dicunt, Pythagorã illum sapientem toto vitæ instituto, & decretis suis à carnium esitatione alienum fuisse. Quod autem ficus aridas siue caricas C. Plinius & Oribasius posuêre, id plenius Laërtij Fauorinus ille; nempe ante Pythagoram σωμασκοῦντες, siue exercitatorum discipulos, victitauisse ἰσχάσι, καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς. Hoc interpretati sunt, *caricis siccis, & mollibus, & tritico, &c.* Melius dicturi, *ficubus aridis, & caseis mollibus, & tritico.*

Sed quare *saginationem aridam*, dicere Pœnulus

hic voluit magis, quàm victum aridum? Vt victum athleticum duabus quasi notis insignem faceret ariditate & copia. Ariditate ad robur: copia vero ad πολυσαρκίαν. Est itaq; vt si dixisset ξηραναγκοφαγίαν. Differt ξηροφαγία, ἀναγκοφαγία, ξηραναγκοφαγία & κρεαναγκοφαγία. Ξηροφαγία Christianorum est ieiunantium, vt Tertulliani c. i. ii. & ix. lib. De ieiuniis Ioannis Cassiani c. xxi. lib. iv. De institutis renunciantium. Ἀναγκοφαγία est athletarum, eaq; duplex. Vetus vna, eaque ξηραναγκοφαγία, siue *arida saginatio*, altera noua, eaque κρεαναγκοφαγία. Ἀναγκοφαγίας mentio etiam Aristoteli Politicis c. iv. lib. iix. Clementi Alexandrino Pædagogi c. i. lib. ii. Lexiphani Luciano est, σιρρὰ ἔψφη.

Iuxta cutem tonsor.

Ἐν χρῷ κουρεύς, siue *tonsor strictim, non per pectinem*, Plauti Captiu. Eáq; tonsura σκάφιον. Interpres Aristophanis in Aues.

Et cultri vertex solus immunis.

Intellige κουρὰν περίτροχον λάτιω, qua vsi Arabes, Iudæi, Numidæ, & Romæ serui, & hodiéque Indi. Narraui ad Q. Horatij epist. vii. Tertullianus verò nunc tonsum illum Numidarum, quasi Græcanicum Carthaginiensibus suis impingit, quia philosophi plerique rasi, vt Stoici. Notaui ad A. Persij Satyram iii.

Apud hirtos & hirsutos.

Hirti, qui corpore sic à natura, pilo nempe aspero: *hirsuti* qui sic rusticitate, non curantes pecti, tonderi, velli, itaque setigeri, setosi, τριχοφόροι, ἀκ-

ὀπειχες. Rectè itaque *hirtos* dixit ante *hirſutos*.

De reſina verò & volſella, veteres cantilenæ. Rectè quidem auctor nunc vſum vtriuſque deſignauit, reſinæ ad alas: volſellæ ad mentum, Gloſſæ. *Τειχολαβὶς Forficula. Tonſilla, Vulſella.* Et *Vulſella, τειχολαβὶς, ἀκανθολαβὶς.*

Quas veſtire non noſti.

Ex repugnantibus. Exoticas mundicias Afri, & Numidæ, & Romani adſumſiſtis ex Aſia & Græcia: cur veſtem, id eſt, his mundiciis conuenientem, videlicet Græcanicam & Aſiaticam, id eſt, pallium depoſuiſtis, ſiue mutauiſtis toga ſumta?

Reuera enim qualè eſt, Græcatim depallari.

Reponunt aliqui. *Reuera enim quale eſt Græcatim?, depilari magis quàm amicis? &c.* Sed ea reſcriptio *ἐνοχεῖ πάνυ λίαν.* Alij voluêre. *Reuera enim quale eſt, Græcatim depalari &c.* Nihilo illi felicius, Tertullianus quidem ipſe vtramq; reijcit, hoc modo. Dixit, abſurdũ eſſe mundiciis vti exoticis, & eas non veſtire, ſiue vti veſte diſconueniente illis mundicus, nempe toga, pallióve in ſpeciem aliquam togæ interpolato. Subiungit, *Reuera enim quale* ſiue quam abſurdum eſt, *depallari magis &c.* lego, *depallari, κακῶς πεϐωνιοδσθαι.* Malè autem palliari ſiue *depalliari* eſt, quod c. 1. dixit, pallij iam teretis tabulatam congregationem fulcire, vt ſi diceret, Non tam palliamini Græcatim vos, quam depalliamini, ſiue non pallium vobis quadrangulum eſt, ſed teres: non ſine tabulis & ſimplex Græco ritu, ſed ta-

bulatum: quasi & Græcum & nec Græcum. Atq; ita vos non tam palliati & amicti Græcatim, quàm depalliati. Vt *depalliari* Septimius, sic ante hunc Plautus Milite Sc. Sequimini, *expalliari. Expalliato*, inquit, *brachio*. Prodigiosa ibi Criticæ gentis de verbo illo insomnia sunt. Legunt, alij *expapillato*, alij *exfibulato*. Alius etiam aliquis *exfasilato*, quem *prodigiali Ioui, aut mola salsa tunc, aut thure, comprecatum oportuit &c.*

Habitum transferre.

Libri communes, *quàm amiciri? habitum tranferre, &c.* Melius, *quam amiciri? Habitum transferre &c.* Nam & periodi & argumentationis nouæ principium est, ex repugnantibus. Pugnantia sunt, Christianis probro dare vestis solius siue habitus, siue togæ-pallio mutationem: non Achilli, non Herculi, non alijs vitio vertere, & habitus & naturæ vt sexus mutationem. Atqui habitus mutatio ita demum probrum est, si non consuetudo vestiendi, sed natura, siue sexus mutetur.

Consuetudo fidem tempori.

Rectè legitur, *debet consuetudo fidem tempori &c.* Est vero primum hoc membrum enumerationis partium, qua docet, varijs de causis habitum mutari, aut licitis, vt Carthaginienses toga mutauêre pallium: aut illicitis, vt libidine duce mutauit Achilles, Hercules, Cleomachus, Ptolemæus Physcon, Sardanapalus: vt ambitione auspice Alexander M.

Lariſſæus heros in virginem mutando.

Quo tempore nomen ei *Cercoſyra*, & *Iſſa*, & *Pyrrha*. Ptolemæus Hephæſtio apud Photium in Bibliotheca. Eaq; inter quæſtiunculas Tiberij Cæſaris, C. Suetonij c. lxx.

Vnde & nominis conſilium.

Vt c. I. *luminis conſilium*. Fruſtra ſunt qui legunt, *nominis concilium*. *Nominis conſilium*, auctor dicit, quo impoſitum Achilli nomen Ἀχιλλεὺς, quaſi ἄνευ χειλῶν. Sed ſunt & aliæ huiuſce nominis originationes, vt Achilles à nomine χεῖλος quaſi Chilo ſiue Labeo, Velius Longus apud Caſſiodorum. Et Achilles quaſi ἄχος λύων ſiue ſoluens morbum, quia medicus. Etymologiſta. Alij etiam aliter vt apud Euſtathium ad Iliad. I. Et Ptolemæum Hephæſtionem Photij Bibliotheca. Et apud alios, ὅσσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Labiis vacuerat.

Minus rectè alij, *vacauerat*.

Matris ſolicitudinem patiens, certè &c.

Alij, *matris ſolicitudinem pati : at certè &c.* Paullò melius & antiquæ ſcripturæ propius, *matris ſolicitudinem pati : en certè &c.*

Iam vſtriculas.

Repoſuêre, *iam vt ſtriculus &c.* Striculus, inquiũt, puer grandior, vt Arnobij lib. v. *duri atque ſtriculi puſionis &c.* Sed voluit Afer vterque *hirticulus*, incipiens iam hirtus eſſe, Gloſſæ δασυπώγωνος, Hirci-

culus, melius Histriculus. Inibi, *Histriculus* ἀκαι... προκτης. Dixi ad Valerij Martialis epigramm... lxxiix. lib. I.

Cutem fingere.

Patet hic locus ex his quæ dicta mihi ad Martialis epigr. idem.

Aurem foratu effeminatas.

Effeminatus, quia inaures muliebre ornamentum Vlpiano l.xxvi De auro arg. leg. L. Senecæ c.xvii De vita beata. c. xiv. In sap. non cad. iniur. D. Cypriano lib. De habitu Virginum, D. Hieronymo ad Lætam, & in vita Marcellæ.

Planè postea miles.

Sic libri communes, *statua seruat. Planè postea miles &c.* Distinxêre aliqui aliter. *statua seruat planè. Postea miles &c.* Sed melior communis lectio, *statua seruat. Planè postea &c. Planè* illud, dictum κατ' προληψιν. Fateor, postea miles est, & delet notam illam effeminationis, sed non aliter quàm quia *necessitas ei reddidit sexum*, siue coëgit se virum profiteri: necessitas nempe belli, propter quam ab Vlyxe deprehensus, Geographus lib. ix. Ouid. lib. xiii. Apollodorus Bibliothecæ lib. iii. Dictio in Lycophronis Alexandram, Hyginus c. xcvi.

Nec arma longè.

Nam Vlyxes ea inter muliebres merces siue nugas venalia exposuerat. Auctores locis ante citatis. Hæc itaque alia necessitas Achilli. *Nam ipsum ferrum virum adtrahit.* παροιμιωδῶς Homericum ex

Odyssea xvii. & xix.

Si post incentiuum.

μετὰ τὸ ἐξορμητικὸν σάλπισμα. Iulius Pollux c. xi. lib. ix.

Monstrum equidem geminum.

Relegunt, *& quidem*. Sed frustra. Nam est, *equidem*, aliàs, *ego quidem*, aliás simplex *quidem*, aliâs vt nunc, *& quidem*. C. Sallustius in Catilina. *Iampridem equidem amisimus*, id est, & quidem iampridem. Ibi, *equidem ego sic existimo*, id est, & quidem ego &c. Tullius pro Milone. *Equidem ego ceteras tempestates &c.* id est, & quidem ego. Persius Sat. 1. *Per me equidem*, id est, & quidem per me. Nota res Prisciano, & alijs Grammaticorum filijs.

Neque fallacia confiteri.

Confiteor, commune verbum, A. Gellius c. xiii. lib. xv.

Cum vnguentis offenderetur.

Melius Petrus Ciacconius, *offunderetur*. Offusa claua vnguentis, ne spurco eius odore offenderetur Omphale adtrectans eam. Sic inferius paullò, *euigoratæ & exodoratæ exsuuiæ balsamo aut telino.*

Pumice speculi excludebatur.

Non peruidêre hanc Satyrici nostri nebulam, qui sic eam cispellere voluêre, *pumice speculi*, id est, *speculo leuissimo, ac politissimo*, siue, *speculo pumicato, &c.* Qui potest amabo, speculo etsi pumicato, etsi tuissimo excludi sanguis & sanies sagittarum?

Tertullianus intelligi vult *pumice ſpeculi*, pumic
illo quo ſpeculum pumicatur. Omphale ſibi ſa
gittas pumice ſuo ſpeculari extergeri voluit ſiu
pumicari. Pumice ſolita ſpecula poliri ac læuigar
ærea & argentea. Aerea quæ ſtanno & ære mixta
Hinc *læuitas ſpeculorum* Ciceronis Timæo.

Aut telino ſpero factum.

Spero, credo, vt ipſe mox, *Credo & iubas &c.* At
ticè, vt Æſchines μετρίως ἐλπίζω μοὶ πεφειρῆσθαι. *Cred
mihi mediocriter iam dictum &c.* Ἐλπίζει τὸν δῆμον ἀπ
μνημονεῖν. *Credit populum oblitum.*

Ne ceruicem eneruem inureret ſtiria leonina.

Stiriam interpretati *ſcirrum*, quia inquiunt, coa
leſcentes pili in iuba leonina, ſunt quaſi ſtiri
aquæ frigore concretæ. Λῦρος πολιῶς. Scripſerat Ter
tullianus, *ſtria leonina.* Βόστρυχοι iubæ leoninæ ſiu
ſertæ ſunt tanquam ſtriæ. Vndantis iubæ, tanqu
ſtriæ ſunt aliquæ & *ſtrigæ*. Striæ eminentes, ſtriga
cauę & quaſi canaliculi. Quemadmodum ſtrias &
ſtrigas columnarum, Victruuius diſtinguit c. iv
lib. iv. c. xv. lib. x.

Hiatus crinibus infarſos.

Pretium eſt, adponere hunc locum totũ, quem
admodum vulgo perſcriptus eſt. *Hiatus crinibus in
farſos; genuinos inter antias adumbratos, ne tota oris con
tumelia mugiret. Si poſſet, Nemea certe &c.* Sanar
voluêre aliqui emplaſtro tali, *hiatus crinibus infarſo
genuinos inter antias adumbratus, tota oris contumeliæ*

rugire

rigiret si posset. Nemea certè &c. Quasi ex antica linea pugnat correctio illa cum filo Tertulliani. Mea recorrectio est, *hiatus crinibus infarsos, geminos inter antias, adumbratos, ne tota oris contumelia mugiret, si posset. Nemea certè &c.* Nihil opus argumentis, auctor & fundus ipse Tertullianus est. Hoc enim dicit. Omphalen vt Herculis exsuuias omnes deliciis suis quasi expiaret, clauam vnguentis offundi, sagittarum sanguinem siccum extergeri pumice speculi, leoninas exsuuias odoribus imbui sine *exodorari*, iubam leonini exsuuij pecti voluisse; hiatum autem rictus leonini crinibus ex vtrisque fincipitis leonini antiis, quibus adumbratus erat, sic inferciri, vt strictior quàm esset, videretur, neque clancularia illi timidulæ nimio hiatu terrori esset, néve, si quo casu fieri posset, forte os leoninum totum, siue quàm latè hiare posset, aliquam illi Veneriæ nepti, contumeliam emugiret. Antiæ sunt crines fronti leonis impendentes, siue vt dixerit Apuleius aliquis, *antependuli.* Glossæ τρίχες αἱ μεταξὺ τῶν κεράτων τῶν βοῶν. Antię. *Crines qui inter boum cornua.* Etiam Festus. *Antiæ, muliebres capilli demissi in frontem.* Alij pro antiis, malè capronas interpretati, vt Glossæ. *Antiæ*, κόμαι δὲ αἱ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι. *Comæ muliebres, per tempora pensiles.* Et, Κόμαι τῶν κροτάφων, *Antiæ. Comæ per tempora demissæ &c.* Atqui non antiæ illæ, sed capronæ. Antiæ de fronte: capronæ de temporibus pensiles. Eadémq; allucinatio Festi & Marcelli in *Capronæ*, accipientium capronas pro antiis. Etiam Isidori eadem c. xxxi. lib. xix. Lucilius quidem dixit.

--- *capronas Altas frontibus immissas &c.* Sed Poëtica licentia magis quàm ex proprietate vocabuli.

Quod autem, *rugiret* pro *mugiret*, reſcipſêre, etiam in ipſo fruſtra ſunt. Nam etiam leones *mugire* dixeris, quemadmodum Plutarchi libro De animalium induſtria, leones *μόσχου μυκήματι τὸ βρύχημα ποιοῦντες ὅμοιον*, *rugitum ſimilem, vituli mugitui edunt &c.* Et quidem mirum hoc minus, quam quod Maro Æneide vii. *leones* etiam *rudere* dixit.

Hercules in theriſtro Omphales.

Philo Herennius lib. De ſomnijs. *Τὰ θέριστρα καὶ λεπτὰ χεῖρα.*

Sed & qui arte Tirynthium acceſſerat.

Reponunt. *Sed & qui ante Tirynthium acceſſerit &c.* Id autem eſſe aiunt. *Sed & qui Herculem facilè ſuperauerit &c.* Et *ſuperauerit*, inquiunt, *mollitie.* Vnde autem hæc eis relectio? Ex Vaticanis, inquiunt, libris. Eſto. Sic Vaticani illi. Sed Tertullianus, quemadmodum in alijs eſt, voluit. *Sed & qui arte Tirynthium acceſſerat &c.* id eſt, qui artis Tirynthiacæ veſtigia preſſerat, *ὁμότεχνος* Tirynthio, qui eiuſdem Muſæ ſiue artis æmulus. Nam athleticæ artis princeps Hercules. Vt Hercules cum portentis luctatus: ſic athletis labor cum antagoniſtis. Itaque poëta vetus ille apud Galenum in Protreptico, ſiue quis alius eſt, athletas *τοὺς ἀφ' Ἡρακλέους ζηλωτὰς* nominat, ſiue *Herculis æmulos.* Et in decreto Imperatoris Hadriani de athletis, quod inter antiquas inſcriptiones editum, athletæ dicti *οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθληταί*, *Herculanei athletæ.* Conſimiliterq; in altero Antonini decreto inibi edito, iidem, *cultores Herculis.* Hinc etiam Herculi ſtatuæ poſitæ in Gymnaſijs, vt patet Pauſaniæ Corinthia-

tis & Arcadicis. Dionis Chryſoſtomi Melancoma, Plutarchi Flaminino Athenæi lib. vi. Et verò etiam ludorum Gymnicorum Hercules auctor, apud Pindarum Olympiis Oda ii. & x. Polybium fine lib. xii. Hyginum Fabella cclxxix. Diodorum lib. iv. Atq; ipſe pancratio ſiue pammacho victor, Hygini Fabella eadem. Hinc etiam cognomentum ei *Callinicus*, & ludi Gymnici dicti *Herculij*. Iulius Pollux fine lib. iii. Iam illa, *ante Tirynthium accedere*, pro Tirynthium ſuperare, ſartago eſt, ne Tertullianicæ quidem frictioni ſatis proba.

Vltra inter fullones iam Nouianos.

Vltra coronationes athleticas, *iam*, ſiue etiam, inter fullones Nouianos &c. Ante dictum.

Mimographo Lentulo.

Patricio, Iuuenal. Satyra iix. Tertullian. Apologetici c. xv. D. Hieronymus apolog. ii. aduerſus Ruffinum.

In Catinienſibus.

Melius alij, in Catinenſibus. Patet Iuuenal. Satyra eadem.

Commemoratus, vtique ſicut.

Lego *commemoratus, Vtique ſicut &c.* ὀπηφώνησις.

Faſtigia cæſtuum vitioſa occupauit.

Reſcribunt, *veſtigia cæſtuum viria occupauit &c.* Propius antiquæ ſcripturæ fuerit, *viriola*. Et quidem tritius etiam *viriolæ* quam *viriæ* nomen vt Domitij Vlpiani l. xxv. De auro arg. leg. Et in Gloſ-

ſis *viriola* κλαβίον, ψέλιον. *viriolæ* περιχέρεια, ψέλια. Et viriolæ ψέλια. Et βραχιάλιον *viriola*. Deminutione autem huius vocabuli ſiue ὑποκορισμῷ plerumque vſi, vt delitijs conueniente, quia viriolæ & armillæ inter nugas muliebres, Vlpiani d. l. xxv. interpretati autem hoc Tertulliani loco *viriolas, armillas*. Sed Vlpianus tanquam res differentes poſuit. Ergo neque ſat rectè Iſidorus capite illo xxxi. Armillas interpretatus, *viriolas*. Neque illud, opinor, Iſidorus rectè, *viriolas dictas, quod viris militaribus virtutis ergò darentur*. Neq; rectius qui dictas à *vira*, id eſt, femina. Fortean verius à virore, viriolæ, quia ex virentibus gemmis, vt armillæ ex auro, vtræq; in feminarum mundo muliebri & nugis.

Ita & endromidis ſolocem.

Vulgò eſt, *ita & endromidis ſolocem, aliqua multicia ſyntheſi exſtruxit &c.* Sed melius fuerit, *ita & endromidis ſolocem, aliqua multicia ſyntheſi extruſit &c.* Patet verbo antecedente, occupauit &c. Occupauit Cleomachus veſtigia cæſtuum viriola, extruſit endromidis ſolocem, multicia &c. De endromide, ſoloce, ſyntheſi, multicia, notiſſimæ Grammaticorum næniæ.

Nec magnæ.

Nec magnæ conſtantiæ mandatum &c. id eſt, in cuius exſecutione, magna conſtantia opus & labore.

Et quidem ſub Nerone.

Sub Nerone, impuriorem Phyſcone, molliorem Sardanapalo &c. accipiūt Vitellium, qui poſt Neronem, ſed interiecto Galba & Othone, quæ interpreta-

tio *αὐτὴ ἑαυτὴν ἀφαιρεῖ.* Neque enim aut impuritate, aut mollitie siue muliebri morbo, infra Neronem Vitellius: sed dissimulanter & Socraticè & perargutè, *sub Nerone* dixit, quasi non audens Neronem nominare ipsum, & quasi duo Nerones Cæsares, quo tempore Cæsar Nero. Vnus potestate Cæsar Nero: alter sub Nerone illo, qui non tam Cæsar, quàm prodigium ac portentum. Lusitque ad Neronis quinquennium, vt quinquennio fuerit Nero Cæsar: sub Nerone illo siue post Neronem illum quinquennialem Nero alius, impurior Ptolemæo Physcone, mollior Sardanapalo. Nota vox quam Traianus crebro vsurpauit. *Procul distare cunctos principes à Neronis quinquennio.* Aurelius Victor in Nerone. Quin autē Nero impurior Physcone, & Sardanapalo mollior, nullus dubitationi angulus est.

Nec tepidior quoque vis.

Sequitur causa mutandi habitus alia, *vana gloria, κενοδοξία.* Hic autem locus vulgò sic editus est. *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis indubijs, etiam vero saluo, calor est omnis affectio: verum cum &c.* Reposuêre. *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis indubijs. Etiam vero saluo, calor est omnis adfectus. Verùm cum in adfectationem &c.* His Tertulliano sic repositis nolenti, etiam de *indubijs* siuè certis atque exploratis, & de vero philosophati. Sed voluit Septimius. *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induuijs, etiam viro saluo. Calor est omnis adfectus: verum cùm in adfectationem &c.* Scriptum erat antique *indubijs* pro *induuijs.* Nec minus, inquit, etiam ardenter quàm libido ad *mutandas in-*

duuias, siue mutandos habitus incitat, cupido vanæ gloriæ, *etiam viro saluo*, id est, sine corruptela sexus &c. Argutè distinguit. Libido cum effœminatione habitum mutat: *gloria* vana, *etiam viro saluo*. Deinde rationem subiungit, cur vana gloria mutet induuias, siue habitum. Quia, inquit, omnis adfectus, est quasi *calor* siue febricula, vestes mutare cogens etiam sine infamia, vt belli tempore togam sago: in luctu togam prætextam pulla siue anthracina. sed cum adfectus in adfectationem & ostentationem, quasi flabello excitatur, vt adpetitu gloriæ, nascitur quasi incendium, ex eoque ardor, siue quasi ardens febris, siue causus, cogens etiam turpiter & cum infamia vertere habitum, vt coëgit Alexandrum M. Medica veste Macedonicam mutare, & *triumphalem cataphractam captiua sarabara*. Non intellecta verba, *induuiæ, calor, ardor*, caliginem offudere hactenus, & corrumpendo Tertulliani loco fuêre. Vestes vt induuntur *induuiæ*: vt exsuuntur *exuuiæ*. *Calor*, leuicula febris siue motiuncula, denuntians febrim potius quam febris. Cornelius Celsus c. ii. lib. ii. Sic *motus incertos valetudinis*. M. Cicero dixit Cæsariana i. vbi malè vulgaris lectio, *euentus*. *Motiunculas* L. Seneca c. ii. lib. i. De tranquillitate, C. Suetonius Vespasiani c. xxiv. Vbi ea de re dixi. *Ardor* autem est febris, quia febris nihil aliud quàm feruor sanguinis, vnde & nomen ei inditum est, vt notauit M. Varro apud Marcellum in *Febris*, distinguens *calorem & febrim*.

Triumphalem cataphractam.

Loricam duplicem lineam. θώρακα διπλοῦν λινοῦν

Tali enim lorica siue cataphracta vti solens Alexander. Plutarchus in Alexandro. Cataphracta siue thorax, siue lorica est duplex, vna equitum, atque inde cataphracti equites, de quibus Seruius ad Aeneid. xi. Itidemque loricati, Vegetij c. vi lib. ii. altera peditum, vt *cataphracti pedites* T. Liuij lib. xxxvii. & Vegetij c. xx. lib. i. Sed aliter loricati siue cataphracti equites, aliter pedites. Equites corpore toto, atque ipsi etiam equi eorum: pedites tantum pectore. Sic de cataphractis equitibus, siue *cataphractarijs*, siue *clibanarijs*, Iustinus lib. xli. Ammian. Marcellinus lib. xxiv. Suidas in θώραξ.

In captiua sarabara decessit.

Hanc *sarabaram* Græci vocant, vt Hesychius, alij. Chaldæi, quorum ea vox propria est, *sarabal-lim*, vt hoc aliáque D. Hieronymus notauit in Danielis c. iii. Rectè autem Suidas interpretatus, Σαράβαρα, ἐσθὴς Περσική. Rectéq; apud eundem aliqui, *braccas Persicas* interpretati: vestiti enim Persę braccis & tunicis. Antiphanes apud Iulium Pollucem c. iii. lib. vii. c. xi. lib. x. σαράβαρα δὲ χιτῶνας πάντας ἐνδεδυκότας. Nec malè Isidorus c. xxiii. lib. xix. *Sarabara, fluxa & sinuosa vestimenta.* Obscœnus poëta,

--- *Medis laxior Indicisue braccis &c.* Qualesque hodiéque braccæ populorum ad orientem. Persis *sarabare*, Græcis ἀναξυρίδες, Gallis *braccæ*.

Allucinati autem qui correxêre, *in captiua sarabara incessit.* Signanter enim Tertullianus verbo decedendi vsus est, denotãs in veste captiua, non paullisper fuisse Alexandrum, sed perseuerauisse ac mortuum esse.

Pectus squamarum signaculis disculptum.

Otiosè corrigunt, discalptum. Nam eodem recidit. De squamis loricarum trita res. Inde Sidonio, *squameus eques.* Graphicéq; squamas illas verbis expressit Heliodorus Æthiopicis lib. ix. totámque faciem squameæ loricæ, siue quemadmodum ipse loquitur *χιτῶνος λεπιδωτοῦ τινος, tunicæ cuiusdam squameæ.*

Serico exstinxit.

Refecêre, *serico restinxit, &c.* Frustra illi. Septimius enim voluit, non restinctum paullisper fuisse pectus Alexandri, & robur militare, & opus belli, sed prorsus exstinctum.

Et in purpura philosophatum.

Dè Aristippo interpretati: sed verius de Hippia Eleo acceperis, aut Gorgia Leontino. Nam hi adsiduè philosophati in purpura, Ælianus variis c. xxxii. *Ἱππίας ϗ Γοργίας ἐν πορφυρᾶις ἐσθῆσι περιϊέναι, διαρρεῖ λόγος. Fama est, Hippiam & Gorgiam in vestibus circitauisse purpureis, &c.* De Aristippo minus recte interpreteris. Nam is in purpura, non tam philosophum gessit, quam parasitum aulicum.

Cur non & in baxea Tyria.

Sic meliùs alij, quàm libri communes. Communiter est, *cur non & in baxea Tyria calceare, nisi aurum &c.* Alij rectè, *cur non & in baxea Tyria? calcare nisi aurum &c.* Vrbana per interrogationem, ex repugnantibus argumentatio. Si decorum Hippiæ & Gorgię in purpura philosophari, cur non in baxea

baxeis etiam purpureis. Serio reſpódiſſet aliquis, quia baxeæ, aliáque calciamenta, non de lana, ſed de pellibus fiunt, aliáve materia pedum trituram patiente: at Tertullianus *παρ' ὑπόνοιαν*, mimico verſu reſpondet. *Calcare niſi aurum, minimè Græcatos decet. Græcatos*, id eſt, Romanos philoſophantes & palliolatos, aurum dec[illegible] calcare ſiue quemadmodu Plautinus quiſpiam dixerit, *auro habere ſoccis ſuppactum ſolum*. Sed & cum dilogia eſſe videri poteſt, *calcare*, contemnere. *Græcatos*, quiqui eſt mimographus ille dixit, Romanos qui ſe profeſſi philoſophos, palliati, & crepidati, & quaſi de Romanis Græci facti eſſent. in horum enim pallia, crepidas, & mimi & Satyrici iocis ſoliti velitari, vnde A. Perſij verſus ille Satyra I.

Non hic qui in crepidas Graiorum ludere geſtit &c. vbi *Graij*, Romani Græciſſantes, vt dixi ad A. Perſium.

Baxeas verò eſſe crepidas, liquet Apulei Florida ii. & Tertullianus ipſe, vt Hippiæ & Gorgiæ baxeas nunc ridet, ſic & Empedoclis crepidam. Neque differentes à populo philoſophi aut ſacerdotes bâxeis, ſed baxearum colore, aut materia. Vt ſacerdotis, baxeæ palmeæ in fabulis Apuleij lib. ii. id eſt, vt ipſe interpretatur lib. xi. *palmæ victrices ibyſinnexæ*. Baxeas etiam ſoccos interpretatus Iſidorus c. vlt. lib. penult. Sed cum diſcrimine id accipiendum, vſus communis, aut ſcænici.

Calcare niſi aurum.

Vt *calcare diuitias*, L. Seneca epiſt. xvi. *Calcare gemmas* C. Plinius c. xxxv. lib. ix.

M

Atquin alius.

Quasi κατ' ἀνθυποφορὰν mimicum illum versum refellens, respondet. *Quid tu ais?* non nisi aurum calcare? Atqui Empedocles ipse, præsignis philosophus, æs, non aurum calcauit.

Et sericatus, & crepidam æratus.

Sericatum dicit indutum serico purpureo. Purpuratum Empedoclem fuisse, narrat Aelianus varijs c xxxii. lib. xii. & Fauorinus apud Laërtium in Empedocle. Ex Laertio transcripsit, vt alia pleraque omnia Hesychius. Non dixit autem Aelianus πορφύρα, sed ἁλουργῆ ἐχρῆτο ἐσθῆτι, quæ differunt quidem colore, vt differit Iulius Pollux c. xiii. lib. vii. sed non tam specie ipsa coloris, quam gradu intentionis. Purpurei nempe coloris, quasi gradus, *ater, liuidus, violaceus, ruber.* Narrat Victruuius c xiii. lib. vii. ἁλουργὰ interpretati *violacea*, verius fuisset, ferruginea, vt recte Suidas in ἁλουργά. Sic Plauti milite Sc. Sequimini. Ferrugo est color thalassius. Glossæ. *Ferrugineum*, γλαυκὸν, κυάνεον, Ε. κυανοῦν. *Cærulum, Ferrugineum, Glaucum.* Vegetio c. vii. lib. v. est *color Venetus, qui*, inquit, *mari est & fluctibus similis &c.*

Cymbalo incessit.

Deleri volunt, illud, *incessit.* Verius est, prior loco deleri, & relegi. *Atquin alius & sericatus, & crepidam æratus (digne quidem, vt bacchantibus indumentis, aliquid subtinniret cymbalo) incessit.*

Quod si iam tunc locorum.

Vt Plautus & Terentius, *interea loci.*

Diogenes de dolio latraret.

Malè accipiunt Tertullianum, qui relegunt, *Diogenes de dolio intraret &c.* Dicit enim Tertullianus, Quod si iam eo tempore, quo sic fatuabatur Empedocles, latrandi artem suam factitasset Diogenes, qui omnes solitus adlatrare, an non & *cænulentis pedibus suis*, quos experti sunt tori Platonici, *& omnino totum Empedoclem in Cloacinarum adyta detulisset?* non contentus scilicet eum adlatrare, aut toros eius calcare, vt Platonis.

Sed omnino totum Empedoclem.

Meliùs *& omnino totum Empedoclem.*

In adyta Cloacinarum detulisset.

In Cloacinarum adyta, in cloacas, quarum præses Dea Cloacina.

Quare non dixit, *Cloacinæ adyta*, sed *Cloacinarum?* Quia inquiunt, multæ Cloacinæ. Vna ad forum, & nouas tabernas, de qua T. Liuius lib. iii. altera ad lacum Curtium de qua C. Plinius c. penult. lib. xv. tertia ad magnas cloacas vrbis. Allucinantur illi. Nam T. Liuij & C. Plinij Cloacina eadem est, in foro, in quo etiam Curtius lacus, & tabernæ nouæ. De tabernis nouis nota res, loco illo T. Liuij, de Curtij lacu ex Varronis lib. iv. de ling. Lat. Ouidij lib. vi. Fastor. P. Victoris Topographia vrbis. Vnam denique Cloacinam esse, argumento est etiam Tertullianus ipse c. xiix. lib. 1. aduersus Mar-

cionem, & Minucius Felix in Octauio, cùm ait, *Cloacinam Tatius & inuenit, & coluit &c.*

Cur ergo nunc Septimius hic, inquies, non Cloacinæ, sed *Cloacinarum* dicere voluit? Quia Cloacina Dea, vna quidem, sed omnium eadem cloacarum tutela. Itaque sic multæ quasi Cloacinæ.

Quare autem cloacarũ dea Cloacina siue Cluacina, cum ea non à cloacis, sed à *cluendo* siue purgando dicta sit? vt est C. Plinij loco antedicto? Quia eam T. Tatius inuenit in cloaca maxima. *Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum, Tatius consecrauit.* Lactantius c. xx. lib. I. Ex quo coniectemus licet, cloacę maximæ originem esse iam inde a tempore T. Tatij & Romuli, ipsoque vrbis primordio, neque tam auctorem eius primum, vt C. Plinius sentit c. xv. lib xxxvi. quàm secundum, esse Tarquinium Priscum. Scienter itaque & argutè, cloacas, *Cloacinarum adyta*, Punicus hic noster indigetauit.

Sed quæramus etiam. *Quid* ita noster hic *ἀπαλμανὴς*, Empedoclem à Diogene in *Cloacinarum adyta*, siue cloacas deferri velict: Quia gloriarum plenus Empedocles. Gloriorum autem Dea, Cloacina siue Cluacina. Itaq; Plautus Curcul. Sc. iix.

Qui periurum, inquit, *conuenire vult hominem, mitto in comitium,*

Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.
Priore versu, vox *hominem* superfluit: altero male: *apud* pro *ad*. Neque enim litera, *m*, eliditur.

Pergamus autem etiam porro euoluere hanc oram, cur gloriosorum, maximéque militum Dea Cluacina? Quia nomen eius à cluendo. Id autem est vel purgare, vt C. Plinij loco citato: vel vigere

ac celebrari, aut celebrare, vt versu illo Q. Ennij annali 1. apud Probum, Artium institutis. *Nam latos populos res atque poëmata nostra Cluebunt,* --- id est, celebrabunt. Et Plautus Trinummo Sc. iv. *Victor victorum cluet,* id est viget, celebratur. A Græco nempe κλύειν, à quo κλυτὸς *inclutus.* Soliti autem ἀλαζονοχαυνοφλύαροι, & παμπονείας clientes, gloriari se suáque cluere.

Satin' hæc iam ad intelligentiam Tertulliani de Cluacina? an etiam illud notari pretium est. Eandem esse Deam Cloacinam & Cluacinam, sed non eodem respectu. Nam Cluacina ei nomen, vt gloriosorum patrona est, & eorũ quibus cum Lucilio dixeris. *Aquam te credo in animo habere intercutem.* Cloacina vero eadem, vt cloacarum potens Dea est, & propter quam etiam latrinę coronatæ, vt in De corona militis c. xiii. Hoc ergo discrimine cum de cloacis agitur Cloacina: cum de gloriosis Cluacina ὀρθοχεαφεῖται.

Sorores prius suas, dehinc homines Deas salutaret.

Vrbanissima vernilitate, *sorores suas,* interpretari, *merdas cloacarum & foricarum alumnas.* Honorem illi, ante me iam præfati sunt. Deinde illud, *dehinc homines Deas salutaret &c.* relegunt ἀσυνδέτως, *dehinc homines, Deas salutaret &c.* & eadem festiuissima sua festiuitate; sic interpretantur, *dehinc homines in foricis sedentes, & Deas Cloacinas præsidentes præstitésque loci salutaret.* Quis Zeuxis, quis Apelles tam scitè adyta illa pinxerit? Sed, vltro, diceret Tertullianus, istas à me interpretationes & cor-

rectiones. *Nam ex isto loco spurcatur nasum odore intolerabili.* Scripserat Tertullianus, *sorores prius suas, dehinc omnes Deos salutaret &c.* Dignus Empedocles cum gloriis suis, qui delatus à Diogene *in adyta Cloacinarum* siue cloacas potius, quam Ætnæ crateres, sic in cælum ac Deorum numerum veniret, ac *salutaret prius sorores suas* Cloacinas Deas, in quarum adyta & regionem cæli, siue λῆξιν receptus, deinde *alios omnes Deos*, πάντας τε θεοὺς, πάσας τε θεαίνας.

Et acie figere, & digito destinare.

Acie figere, ὀφθαλμοβολεῖν, *digito destinare*, δακτυλοδεικτοῦν, siue digitare, in Glossis; *nutu tradere* ἐφφιονεύσαζειν.

Prorsus si quis Mæandrico fluxu.

Reposuêre aliqui, *Prorsus si quis Menandri confluxu &c.* Et interpretati, *Menandri confluxu.* Tali confluxu siue confluentia populi, qualis in theatro Athenis, Menandro dante comœdiam Thaida, & proferunt illud Propertij Eleg. vi. lib. ii.

Turba Menandriæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Qui locus nihil eis facit. Nam est de turba non populi spectantis, sed amatorum ludentium in Thaide. Argumentatio Tertulliani est, ex comparatione minoris. Si quis vestem, vt pallium aut togam humi trahat, non careat reprehensione, sed audiat illud in comicum quendam histrionem, siue comœdum aut mimum siue planipedem saltantem, & trahentem syrma in theatro iactatũ olim. *Qualem demens iste &c.* annon iustius, acie figun-

tur, digito destinantur, nutu traduntur, siue omnibus modis traducuntur illi, qui habitum libidine, aut inani gloria vt dictum est, agitati mutant? *Maandricum fluxum* dixit pro tortuoso ac variante flexu ac reflexu syrmatis, dum mimus in theatro saltat cum palla.

Enimuero iam dubium.

Melius. *Enimuero an dubium &c.* Et interrogatoriè *offerat?* Argumentatio ex repugnantibus. Iam sublata censura, omnis vestiũ turbata discretio est: quo iure itaque Christianos sugillatis, quod palliati sint? Pugnantia sunt. Dissimulare, quod omnes non Christiani, vt libitum eis, vestiuntur, & Christianis pallij vsum in oculos compingere.

Censoriæ intentionis episcynio disperso.

Tropicè & quasi Poëticè, & neotericè, *censoriæ intentionis episcynium*, pro censorum supercilio intento, siue altè sublato, siue, pro superciliosa nota censoria, aut superciliosa censura. Censura in Republ. noua siue sub Imperatoribus, quemadmodum etiam Tribunatus, nomen magis quam res. Narraui ad Titum Vespasianum C. Suetonij c. vii.

Quantum denotatui passiuitas offert.

Melius, *offerat?* eroteticè, quantum denotationi siue Satyricę notationi materiam offerat, quod passim videmus siue vulgò, *libertinos in equestribus*, siue non differentes habitu, libertinos & equites: *subuerbustos*, siue seruos, *& liberos*: *dedititios* & *ingenuos*: *rupices* siue rusticos & *vrbanos*: *scurras* & foren-

ſes ſiue cauſidicos, aduocatos, alióſq; comitiales: *paganos* & *milites*.

Subuerbuſtos in liberalibus.

Liberales dixit pro hominibus liberis, vt in Gloſſis Philoxeni ἐλευθερίως, *liberè, liberaliter.* Sed propriè quidem, *liber* ἐλεύθερος: *liberalis* ἐλευθέριος. Verùm quia liberi condicione, plerumque ingenio liberali ſunt, & digno libertate, liberales nunc dixit pro liberis.

Serui autem *ſubuerbuſti*, quaſi *ſub verberibus vſti.* Feſtus. Parum ad rem *ſubuerbuſtos* interpretati, *homines ingenio moribúſque inliberales &c.* Ac neque illud rectiùs quod contra Feſtum illi velitati, non eſſe *ſubuerbuſtum*, ſub verberibus vſtum: ſed *quemadmodum à iure iuſtus, ab arbore arbuſtum, ab onere onuſtus, à federe feduſtus: ſic à verbere verbuſtum eſſe, & ſubuerbuſtum, quem vultus ipſe clamitat verbuſtum eſſe &c.* Nugæ. Repugnat enim articulus ille *ſub*, reclamat anologia. Non enim vt à ius iuſtus, arbus arbuſtum, onus onuſtus, fedus feduſtus: ſic à nomine verber eſſe poteſt verbuſtus. Sed à verbus, ſi qua eiuſmodi *prox*, ſiue proba vox eſſet. An vlla ſit, ipſi Criticam ſuam interrogent.

Dedititios in ingenuis.

Dedititios nempe libertinos. Libertinos dedititios ingenuis oppoſuit, quia deditij libertini quidem, ſed non multum meliore condicione quàm ſerui. Notaui ea de re ad Q. Horatij Satyram v. lib. I.

Scurrā

Scurras in forensibus.

Scurræ & causidici, vtrique in foro: sed illi ad cœnarum captationes: hi ad causarum actiones.

Conuerte & ad feminas.

Nec in viris solùm illa vestium decori ac discretionis, sed in feminis etiam turbatio. Neq; enim distat nunc habitu, matrona & meretrix. Nam vtraq; sine stola. Stola vestis matronicia. Ingenuę stola vsæ: libertinæ toga pulla: meretrices toga anthina, Coa, multitia. Narraui ad Q. Horatij Satyram ii. lib I.

Cæcina Seuerus grauiter.

In oratione illa, cuius summarium, vt rectè obseruant, est apud C. Tacitum Annali iii.

Matrona sine stola, in publico.

In publico, ἐν δημοσίῳ, id est, publica est, siue δημοσία, siue omnium amica.

Denique Lentuli auguris consultis.

Hic Cn. Cornelius *Lentulus Augur, Diues*: De quo C. Suetonius Tiberij c.xlix. L. Seneca c. xxvii. lib. ii. De benefic. Is Lentulus, *Augur* quasi cognomento, vt secerneretur à Lentulis alijs, qui coæui. Vide sis Iustum Lipsiũ ad C. Taciti Annalem iv. Consulta autem pro consiliis, trita iam res.

Quæ ita exauctorasset.

Ita matronæ auctoritatem exsuisset, stola deposita. Sic contra Marcionem c. iii. lib. iii. *exauctora-*

re, pro auctoritatem derogare. Matrona quæ stolam sumit, quasi auctorat siue vendit se stolæ ac pudicitiæ: eadémq; cum stolam missam facit, exauctorat ipsa se, siue auctoritatem sibi matroniciam detrahit. Auctorat se qui se domino vendit ad ferrum siue gladium. Nam ius suum omne & auctoritatem vitæ ac necis, vendit ei cui auctoratur. Glossæ Philoxeni. παρέσχε εἰς μονομαχεῖον. *Auctur.* Lege, *Aucturo*, id est *Auctoro.* Et ὁ πρὸς σίδηρον παρεχθείς. ὁ ἐστιν ὁ μονομάχος *Auctoratus.* Et μισθὸς εἰς δοῦλον *Auctoramentum.* Pecunia nempe pro capite serui ad ferrum. Sic Apuleius Apolog. I. tanquam res differentes secernit, *mercedem* & *auctoramentum. ob mercedem*, inquit, *& auctoramenta impudentiæ.* Hinc *auctoratio* etiam pro quauis venditione, vt in auctione, alióve contractu. Glossæ παρέσχω καθ᾽ ὑπόθεμα ποιῶ. *Aucturo* siue *Auctoro.* Apuleius lib. ix. *Mulier exsecrando metallo pudicitiã suam protinus auctorata est &c.* id est, auro vendidit. Et *vendere*, pro auctorare, Iulius Firmicus c. xii. lib. iix. *Qui se ob alienæ gratiæ voluntatem, nundinati, sanguinis iactura ad mortis spectaculum vendunt &c.* id est, auctorant.

Pro stupro erat pœna.

Pœna erat tanquam stupratæ.

Et supparum & crepidulum.

De supparo, Varro lib. iv. De ling. lat. Festus Marcellus, alij. Festus recté, *Supparum, puellare vestimentum lineum.* Sed idem mox sui oblitus, Mulierem ait videri puellam, quæ supparo induta sit quasi supparus siue supparum sit matronarum, e

versu illo Afranij ne rectè accepto. *Puella non sum, supparo si induta sum &c. Si*, ibi est, etsi, & dictum per pueri personam. De crepidulo etiam Festus.

Sed alius exstinguit sua lumina.

Interpretantur. *Alij conniuent vltrò, ac non vident: alij irritant, quod indignius &c.* Longius hoc à Tertulliani sensu, quàm *à porta Salernum.* Septimius hoc dicit. *Alius exstinguit sua lumina*, id est, conditionis suæ splendorem, siue deponit insignia dignitatis suæ, vt matrona quæ stolam exsuit, vestésque alias matronicias: *alius accendit non sua lumina*, id est, sibi adrogat indebitum sibi splendorem, & non sua insignia & ornamenta, vt lupæ. Proinde igitur est, vt si diceret, Matronæ esse volunt luparum habitu siue meretricio: lupæ contra matronicio.

Occisæ in publico castitatis.

Vt Apuleius lib. v. *interfectæ virginitatis.*

Et, si præstat.

Lego. *Etsi præstat &c.* id est, *Quamuis satius est &c.*

Adspice tamen.

Vulgo est, *adspice tamen vel sublimis iam, matronas videbis, cum latrinarum &c. Sublimeis* interpretantur, *non plebeias, sed senatorias & equestres &c.* Nihil à Tertulliani scopo longius. Scribi nempe voluit, *adspice tamen vel sublimeis, iam matronas videbis, cum latrinarum antistes &c.* Etsi lupulas illas etiam adspicere, casti oculi perhorrescunt, tamen adspice vel, siue saltim eminus, sublimeis in lecticis, sellis,

hexaphoris, videbis matronas: dices te matronas videre nobilissimas, ita cultæ ornatæque sunt, ita in vehiculis sublimeis illæ Thaides, *λαιφόροι, παιδο-φίαι, secutuleiæ.* Sic Apologetici c. vi. *Video & inter matronas atq; prostibulas, nullum de habitu discrimen relictum &c.*

Cum latrinarum antistes.

Videbis eas matronas, pro matronis accipies, cũ subornatæ fuerint bonæ discipulæ, à doctore suo lenone, *serica* veste, armillis, *calceis puris* siue candidis, *aut mulleis.* Lenonem vocat, *antistitem latrinarum*, quia plenæ latrinarũ siue lauatrinarum ædes lenoniæ, propter lotiones frequentes, vt Plautinæ Patrui Sc. ii. Curcul. Sc. xi. Ac neque hic locus, vt alij passim, hoc Satyrico pallio intellectus plebi interpretum.

Sericum ventilat.

Promit de pressorijs & arculis.

Inmund. loco. ceruicem monilibus consolatur.

Plautinæ Militis Sc. i. *Nam ego hanc macharam mihi consolari volo &c. Ceruicem meretriciam ipsa lenonis domo immundiorem &c.* Exerrant qui corrigunt, *immundiore in loco.*

Armillis quas ex viror. fortium donis.

C. Plinius c. i. & ii. lib. xxxiii. Iustus Lipsius De militia Romana Dialogo xvii. lib. v.

Manus inserit.

Rectè sic libri communes, *& armillis, quas ex virorum fortium donis, ipsæ quoque matronæ temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit, impuro cruri purum &c.* Neque vlla causa fuit, cur quispiam corrigeret, *manus inserit impuro cruri, purum aut mulleum induit calceum &c.* Septimius hoc dicit, manus discipularum suarum leno inserit armillis, crura calceis, aut forte an cothurnis magnam crurum partem velantibus, vt Catulli Epithalamio Pelei, Virgilij Æneide I. Ecloga vii. Et versu Liuij Andronici apud Terentianum. Ouidij lib. iii. Nequitiæ. Dixi ad Martialis Epigr. xx. lib. iii. Quare autem cothurnatę Veneres illæ vulgiuagæ? Eadem visione qua matronæ, ad proceritatem, vt Iuuenal. Sat. vi. Et de Iscomachi vxore, apud Xenophontem Oeconomico: Altera est ratio cur calceatæ, aut cothurnatæ, nempe vt vitia crurum ac pedum velarent. Calcei enim Romanici & cothurni, magnam crurum partem velabant. Hinc amorum magistri præceptum illud lib. iii. Nequitiæ.

Pes malus in niuea semper celetur aluta,
Arida, nec vinclis, crura resolue tuis. &c. Melius, *suis.* Et illud Horatianum Satyra vi. lib. I.
— nigris medium impedijt crus Pellibus — Et Titinnij Setina. *Iam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas.* Narraui ad Horatij Satyram vi. lib. I. Sic etiam de baxeis Apuleius lib. xi. *Palmæ victrices tibijs innexæ &c.*

Impuro cruri purum aut mulleum ind. calc.

Purum calceum accepêre, *cui nihil adsutum*: mulleum *cui adsutum aliquid ornamenti*. Immo enim, *purus* calceus est albus, vt toga pura: *mulleus* autem coloris mullei. Sic mullei matronarũ calcei apud Fl. vopiscum Aureliano. *Calceos*, inquit, *mulleos & cereos & albos, & hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit &c.* Puri siue albi calcei, etiã Phæcasia, de quibus dixi ad A. Persij Satyram v. Calcei verò mullei quibus adsutum ornamentum, ij lunati, siue patritij, qui nihil ad matronas aut Veneres. De quo calceorum genere narraui ad Satyram eandem.

Cur istas non spectas? vel illos item habitus?

Transit quasi de cœno ad cœlum, de fornice ad religiones profanas, & argumentatur ex repugnantium loco. Christianis succensetis, vos non Christiani, quod togam pallio mutent, nec videtis *manticæ quod in tergo est*, nempe & viris & feminis vestris, non turbidam solum & turpem, sed etiam plerisque obscœnam vestium mutationem. Præterea vobis mutatio illa, non solum in vita communi, sed etiam in religionibus.

Cum ob cultum omnia candidatum.

Initiantes Cereri esse candidatos, res nota in triuijs.

Et ob notam vitæ.

Melius fuerit, *& ob notam vittæ*, vt ipse indiciū facit c. ii. De testimonio animæ, *& vitta Cereris redimita &c.* Nempe quo habitu Ceres, eodem & initiantes Cereri. Si quis tamen adserere velit, commune illud, & ob notam vitæ &c. referre potest ad ritum sacrorum Cereris, quo ieiuni, casti, inuinij siuè abstemij. Sed cum dicit Septimius *notam*, magis est, vt de vitta intelligi velit.

Et priuilegium galeri.

Initiantes Cereri, præsignes galero, tanquam cōmites peregrinationum Cereris, quærentis filiam. Galerus viantium est, vt C. Suetonij Nerone c. xxvi. Atque sic Papinius Thebaide 1. galerum Mercurio tribuit. Res autem adfines, *galerus, pileus, petasus, causia.*

Cereri initiantur.

Proprè dictum, *Cereri initiantur.* Cereris enim propriè *initia* siue mysteria, & Liberi M. Varro c. i. lib. iii. c. i. lib. 1. De re rust. M. Cicero lib. ii. Legum.

Cum ob diu. adf. tenebricæ vestis.

Qui Bellonæ collegio se dant, ij atrati, & in capitibus, eiusdem coloris vellere. Ceres enim de superis vna: Bellona de inferis. *Adfectionem* autem *diuersam*, dicit adfectationem & ostentationem, habitus diuersi: nempe Bellonæ. Adfectatio vna initiantium Cereri, vestis candida: diuersa Bellonæ sacerdotum & collegij, adfectatio atræ vestis

Itaque mox paullo huic ostentationi & adfecta-tioni, opposuit *simplicem & inadfectatam superstitionem*, ag ens de Christiana.

Latioris purpuræ ambitio.

Tunica palmata. Nam hæc Dijs maiorum gentium, vt Iuuenalis Sat. x. Papinij lib. vi. in funere Archemori, Seruius ea de re ad Eclogam x.

Et Galatici ruboris superiectio.

Pallium coccineum, vt c. ii. De testimonio animæ. *Et pallio Saturni coccinato.*

Cum pallium hoc ipsum morosius ordinatū.

Pallium morosius ordinatum, quod c. i. *pallium teres, & redundans, tabulata congregatione fultum.*

Et crepidæ cretatæ.

Cum palliati & crepidis cretatis induti, Græcatim siue Grecanico ritu Aesculapio adulantur, cultores eius siue numini eius deuoti, *Adulari est accedere & adludere*, inquit Festus. Sic nempe soliti clientes & palpones. Dixi ad leg. xii. Tabular. c. lvii. Habent autem libri communes, *& crepidæ cretatæ Græcatim Aesculapio adulantur &c.* Reposuêre aliqui, *& crepidæ Græcatæ, Græcatim Aesculapio adulantur &c. id est*, inquiunt, *curatæ more Græco, Græcatim adulantur, id est Græcum cultum exhibent.* Manifestaria ineptiarum illa correctio est. Nihil autem apertius communi lectione, eaque plane à stilo Tertulliani est. Neque enim *Græcatas*, sed *cretatas crepidas* dicere Septimius voluit, quemadmodum patescet

patefcet legēti quæ ad A. Perſij Satyram v. notaui.

Quanto tunc magis arguas illud?

Sic libri cõmunes. *Quanto tunc magis arguas illud? & vrges &c.* Relegunt aliqui. *Quanto tu magis vrgeas illud, quod vrges oculis &c.* Non nauci reſcriptio illa, Tertullianus quidem voluit. *Quanto tunc magis arguas? en vrges oculis &c.* Ex comparatione minoris argumentatio. Quantò tunc magis argueres nos, ſi vt vos in veſtris, ſic nos in noſtris ſacris, tam variè habitum mutaremus,& modo albati, mox atrati, rurſus coccinati, deinde palliati &crepidati eſſemus,vt vos in ſacris veſtris, Cereris, Bellonæ, Saturni, Æſculapij: ecce quaſi pro noxio vrgetis me, quod mutauerim togam pallio, ſimplici ſiue vnica & inadfectata ſuperſtitione, nempe Chriſtiana. Eſt itaque materia quidem argumentationis ex comparatione minoris, ſed formula ſiue tractatio ex repugnantium loco. Pugnant, ipſos tam multiplici adfectatione veſtium mutationis teneri, & alios arguere, quî ſimpliciter & inadfectatè mutant: proinde vt ſi diceret, Quod in nobis reprehenditis, in veſtro ſinu facilius inuenietis.

Simplicem & in adfectatam ſuperſtitionē, pro Chriſtiana dixit, quam illi non Chriſtiani, *ſuperſtitionem* vocabant, ſuam verò viceuerſa *religionem*. Eſt itaque, vt ſi diceret, quam vos ſuperſtitionem dicitis, cum ſit religio: veſtra verò non religio, ſed ſuperſtitio. Quanquam etiam *ſuperſtitio* dicta interdum pro religione, vt Æneide vltima.

Vna ſuperſtitio ſuperis quæ reddita Diuis. Gloſſæ. *Superſtitio* θρησκεία, δεισιδαιμονία. Et θρησκεία, *Superſtitium,*

Religio, Ritus. Θρησκεῖαι, Cerimoniæ.

Enimuero cum hanc.

Oſtendit quemadmodum repugnans ſiue abſurdum ſit vellicare Chriſtianorum togæ palliouerſionem: non peruellere illas in Græcanicis ſacris habituum vices. Declarat comparatione togę cum pallio, togæ pallio meliorem mutationem eſſe, quam pallij toga. Toga enim veſtit ſuperſtitionibus implicitos vaniſſimis: pallium vice togæ ſumtum, veſtit ſapientes, qui ſuperſtitiones illas erraticas *renuunt*, ſiue oculis & ſupercilijs repudiant. Eaq; vna ratione pallium præſtare ait non ſolum togæ, ſed omnibus non Chriſtianorum veſtibus & ſacris & profanis.

Superq́; omnes apices & titulos.

Rectius alij, *ſuperque omnes apices & tutulos.* Qui ſint apices, qui tutuli, vulgò ſcitur.

Sacer ſuggeſtus.

Suggeſtus, pro *quauis textura*. Gloſſæ. *Suggeſtum* βῆμα, ὕφος. Et ὕφος *Textura*. ὕφη *Textura*. Sic itaque nunc *ſuggeſtus*, pro textu pallij lanei. Paſſimq; Septimius, pro quauis texta veſte, ſuggeſtum dicit, quia texere, eſt quaſi ſtamen ſuggerere. *Sacrum* autem pallium vocat, quia Chriſtianos veſtit.

Deducit oculos.

Deducit oculos, ad veri viſionem, ſiue cognitionem veræ ſinceræque religionis ducit, καθοδηγεῖ. Gloſſæ ὁδηγῶ *Deduco*. *Deductores* καθοδηγοί. Ergo etiā ſequitur, *habitum erroris tui renuntiatorem &c.*

Habitum, vnius interim.

Pallium, *habitum, vnius interim erroris tui renunciatorem.* Pallium, qui habitus eſt, vnius interim erroris tui, non Chriſtiane, renunciator &c. *Vnius*, præcipui. Tullius pro Pompeio. *Vnum eſſe virum &c.* id eſt præcipuum. Virgilius Æneide vi. *Vnum oro &c.* id eſt, inquit Seruius, *præcipuum. Interim*, verò, dum tu in tuæ ſuperſtitionis luto heres, & togæ mutationem cauillaris. Interim malè interpretati, *tandem aliquando.*

CAPVT V.

Tamen, inquis.

KAΘ' ὑποφορὰν. Inquis mihi tu non Chriſtiane, vt maximè ſit vera iſta religio veſtra, num idcirco mutare opus togam Romanam Græcanico pallio? proinde vt ſi cum pallio induatur etiam vera ſinceráque religio, neque fas ſit in veſte Romana, Chriſtianum viuere. Hoc intellecto, liquet, vulgò malè hunc ſcriptum locum. Tamen inquis, *ita à toga ad pallium?* Melius. *Tamen*, inquis, *ita &c.* Tamen enim vox eſt, non Septimij, ſed eius qui inducitur, contra tendens.

Quid enim ſi & à diademate.

Obiectum illud refellit ex loco repugnantium. Anacharſidi, quod à diademate ſceptróq;, ad pallium philoſophiæ profanæ ſtudio tranſierit, laudi

esse vultis: nobis vitio vertitis, quod à toga, sacræ philosophiæ causa deuenimus ad pallium. Hæc pugnantia sunt: nam maius est à diademate & à sceptro, quàm à toga.

Nulla in melius transitus sint signa.

Sic libri communes. *Nulla in melius transgressus sint signa, est habitus iste quod faciat. Prius etiam ad simplicem specta telam eius, nullo tædio constat &c.* Refici voluêre. *Nulla in melius transgressus sint signa, est habitus ille quod faciat prius? etiam ad simplicem specta telam eius nullo tadio constat &c.* Tum de eadem fidelia, interpretamentum suum adpingunt. *Sensus,* inquiunt, *est. Nónne hoc illud primum est, quod iste habitus testatum facit, nos in melius transgressos esse &c.* Omnia nolenti admodum Septimio. Eius enim manus ipsissima, quæ vulgò legitur. Etenim sic κỳ προὔλογ differit. Sint nulla, vt vos non Christiani videri vultis, in togæ ista pallio mutatione, signa transitionis in melius, id est, *à superstitionibus vanissimis* ad veram sincerámq; religionem, tamen probro esse non debet, *est enim aliud, habitus iste quod faciat*, siue pallij est alia vtilitas, siue alia res qua profit. Et prius quàm ad alias vtilitates eius venio, specta saltem *telam eius simplicem*, id est, hanc vtilitatem eius, quod simplex eius tela, neque vt togæ propter impensas, vt prætextæ purpuræ, & alias, tædio siue tædula. Hæc itaque pallij vtilitas prima est, in materia.

Adeo nec artifice necesse est.

Altera philosophici pallij vtilitas, in forma eius siue specie figuráque quod nihil *artifice necesse est*, ad

contabulationem eius. Relegunt aliqui, *adeo nec artificem necesse est*, & interpretantur *supple*, *habere*. Sed nihil necesse illo *supple*. Nam Atticè dictum, necesse artifice, pro artifice opus οὔτι τεχνίτου χρεώ. Sic Iliade ix. ---- βουλῆς χρεὼ πάντας Ἀχαιοὺς Ἐσθλῆς καὶ πυκινῆς. *Bono & sapiente necesse Consilio est cunctis Græcis.* Et inibi. ---- οὔτι με ταύτης χρεὼ τιμῆς. ---- *Isto nec honore necesse est mihi.*

Rugas formet, & inde deducat in tilias.

Differunt, *rugæ & tiliæ*. *Rugæ* inchoatæ: : tiliæ verò siue philyræ iam deductæ perfectæque.

Totumque contracti vmbonis figmentum.

Vmbo, est propriè sinus togæ. Itaque Apuleius lib. xi. in descriptione pallæ Isidis, *Vmbonis*, inquit, *vice, deiecta parte laciniæ &c.* Sed quia sinus præcipua est togæ pars & in pectore, atque anterius in oculos incurrens, toga ipsa dicitur quoque tota Vmbo, vt narraui ad A. Persij Satyram ii. Dictus verò sinus siue togæ pars anterior vmbo, quia quod vmbo in clypeo, id sinus in toga, nempe medium, & quasi vmbilicus. Glossæ Philoxeni. Ὀμφαλὸς ἀσπίδος *Vmmo*. Eædem, *Vmbilicus* ὀμφαλὸς ἀσπίδος, τηβέννης. Rectè, ἀσπίδος id est, *clypei*, non autem θυρεοῦ, siue *scuti*. Neque enim scuti est vmbo, sed clypei. Neque recte Seruius ad Aeneidem ix. & Aeneid. x. fecit vmbonem, partem scuti. Rectè Virgilius ipse, Aeneide ii. clypei partem.

Et summo clypei nequicquam vmbone pependit.

Sinum verò illum siue vmbonem, togæ partem præcipuam esse, patet Fabij Quintiliani pictura c. vlt. lib. xii. Omnia enim ibi fere de sinu præcepta,

nulla de tilijs. Vbi quod est, *Ille qui sub humero dextro &c.* melius fuerit, *Ille quà sub humero dextro &c.* Quoniam itaque vt dixi, toga etiam tota nominatur, *Vmbo*, Septimius tabulatam eius partem distinguens à sinu, siue vmbone proprie dicto, *vmbonem* vocauit *contractum*, quia duplex vmbo, vnus contractus in tilias: alter explicatus in sinum.

Custodibus forcipibus.

Quibus contineantur deductæ iam tiliæ, ne diffluant, aut vacillent, siue quemadmodum ipse mox paullò dicturus, *exorbitent*, dum toga reponitur. Quid si autem scripsit Septimius, forpicibus ex Græco πόρπαξι; Ego id præstare non ausim.

Ambitum verò eius ex quo sinus nascitur.

Pingit ambitum illum L. Apuleius lib. xi. in palla Isidis. *Palla*, inquit, *nigerrima, splendescens atro nitore, quæ circum circa remeans, & sub dextrum latus, ad humerum læuum recurrens, vmbonis vice deiecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula, ad vltimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat &c.* Ex qua L. Apuleij pictura, cum inquit, *quæ circumcirca remeans &c.* & mox, *recurrens &c.* percipi potest, quemadmodum duplex in toga circumiectus siue circumiectio, cum pallij vna sit, vt ipse dicturus mox paullò Septimius. Palla nempe illa Isidis cum tilijs siue tabulis, & vt Septimius ipse c. I. loquitur, palla *teres, cuius redundantia, fulcitur tabulata congregatione.*

Iam deficientibus tabulis.

Tabulas nunc dicit, quas ante *tilias*, ineptóque

discrimine aliqui, res fecêre differentes.

Cum alia pari tabulato in tergo deuoto,

Melius alij, *cum alio pari tabulato, in terga dimoto &c.*

Atque ita hominem sarcina vestiat.

Non toga, sed sarcina vestiat hominem, siue non vestis, siue toga illa, sed sarcina sit. Nihil tam extra oleas, quam quod rescribunt aliqui, *atque ita hominem sarcinam vestiat &c.* Explodit Tertullianus ipse verbo sequente. *Conscientiam denique tuam perrogabo, quid te prius sentias, indutumne an onustum &c.* Propter hanc togæ sarcinam inrepsit multitiarum siue *vitrearum*, vt à Varrone dicuntur, togarum vsus.

Quid statim à limine properes.

Quid, siue quam rem properes, vt *properare studium, lanam, pecuniam*, Horatius, alij.

Nullius p. a. indumenti expositio.

Scribunt aliqui, *nullius p. a. i. expositu &c.* Sed voluit forte an Septimius, sibi licere in Satyra ista sua, gratulo & gratulor, vt sit, *gratulatur*, gaudio est, grata habetur. Sed neque hic ego pignus posuero.

Calceos proprium togæ tormentum.

Quia vt toga sic calcei propriè indutui ciuibus Romanis, & particula iuris ciuitatis, calceique togæ quasi comites. Longa mihi ea de re historia ad A. Persij Satyram V.

Immundissimam pedum tutelam, v. e. falsam.

Immundissimam, quia in calceis pedes plerumque sudore olidi & sordidi, aura non exspirante. Sic viceuersa mox de soleis siue sandalijs agens, eas vocat *mundissimum opus*, quia in his pedes non solùm à luto, sed etiam à sudore & spurcitie odoris mundi. Quod autem adiunxit, *verùm & falsam*, infra explico, vbi de soleis.

Quam enim non expediat.

Voluêre: *Quem enim &c.* Sed nolenti Tertulliano ea correctio est. Locus hic totus sic vulgò perscriptus est. *Quàm enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vncipedem. Magnum incessui munimentum &c.* Septimij stilò fuisse dixerim. *Quàm enim expediat in algore & ardore rigere nudipedé, quàm in calceo vncipedem? &c.* Quantopere melius, siue quanto magis expedit &c. Deinde adclamatio cum ironia. *Magnum incessui ornamentum &c.* Quo pacto autem algori & ardori commune verbum esse potest rigere? Quia & frigore nimio, & ardore siccantur & durescunt res.

Quam in calceo vncipedem.

Calcei enim Romanici, repandi, quales in nummis antiquis, & apud Ciceronem lib. I. de Natura Deorum iunonis Sospitæ. Frustra illi sunt, qui calceos tales interpretantur diabathra, de quibus Varro lib. VI. De ling. Lat. Diabathra illa & re & nomine

nomine, Græcanica: calcei autem Romanici.

Sutrinæ Veneriæ.

Sutrinæ Veneriæ, inquiunt, *sutorum officinæ, Veneris & libidinis administræ &c.* Verius acceperis Satyricè dictum, & mordaciter ex dilogia. *Sutrinæ Veneriæ* pro sutrinis vel Romanis, quia Venus mater populi Romani: vel pro seruientibus Veneri ac venustati. Itaq; mox pro calceis etiam dixit, *perones effeminatos*.

Perones effeminatos,

Perones effeminatos vult intelligi calceos. Aliud quidem calcei, aliud perones. Calcei ciuici & vrbani: perones rustici. Sed contemtim & Satyricè calceos perones vocat, quia re aliqua similes. Vtrique non pedes solum, sed crurum etiam partem aliquam tegunt. Itaque distinguens adiunxit, *effeminatos*, quasi perones sint calcei virorum: calcei, perones feminarum, aut effeminatorum.

Etiam si duplex.

Pallia duplicia erant, vt notaui ad c. 1. Sic Horatius epist. xvii.

Contra, quem duplici panno patientia velat, id est, Cynicus Diogenes palliatus.

Quod Cratetis more

Libri communes habent. *At enim pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis more, nusquam vestiendo componitur &c.* Sed interpolauêre aliqui hanc lectionem hoc modo. *At enim pallio nihil expeditius (etiam si duplex quoque Cratetis more) nusquam*

&c. Melius libri communes, si non læua capiantur, quæ dextra Tertullianus porrigit. Pallio, inquit, etsi duplex est, nihil tamen expeditius, *quod* siue quia *Cratetis more*, siue Cynico more, id est simplicissimo & facilimo, siue vt in Cynicis videmus, nulla sui parte vestiendo, siue in vestiendo, siue dum vestitur, componitur tilijs siue tabulis & sinu, quemadmodum toga.

Licet equidem nusquam inhumano.

Relegunt. *Licente quidem, nusquam inhumano, &c.* & inuenêre plausores. Sed voluit Septimius, *id est, vno circumiectu licet, equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit &c.* liquidissimo sensu, id est, vno quanquam circumiectu, siue non vt toga, aut pallium tiliatum, *circumcirca remeans, & recurrens*, vt ex L. Apulcio dixi de palla Isidis, & quidem circumiectu *nusquam inhumano* siue neq; ante neq; ponè graui ac molesto, vt in togæ palliíve tiliati sarcina: tamen *ita* siue vnico circumiectu, *omnia hominis*, siue hominem totum simul contegit &c. Quid autẽ esset, *licente circumiectu*? an licito? an libero & sui arbitrij, neque adstricto sinuationum & tiliarum legibus? an licentioso & lasciuo? Nihil horum satis conueniens. Primum illud sensus respuit: alterum dictio: tertium, vtraque res. *Equidem* esse, & quidem, ante iam dixi, *inhumanum* autem quod homine alienum, vt toga quæ cum vestire hominem debeat, onerat, siue pro sarcina est. Sic Horatij epist. xiix. *Inhumana Camœna.*

Ita omnia hominis ſimul contegit.

Pro, omnem, ſiue totum hominem. Atticè πάντα τοῦ ἀνθρώπου, ὅλον τὸν ἄνθρωπον. Sibylla lib. iv. ἄδηλα ᾗ πάντα τὰ Δήλου, id eſt, πᾶσα Δῆλος ἄδηλος. *Omnia Deli abdita. Tota delus abdita.*

Nihil de tabularum fide laborat.

Iocus Satyricus ex dilogia, in nomine *fidei*, & *tabularum* Tabularum togæ fides, ſi non exorbitent: tabularum forenſium fides, ſi non falſæ.

Nulli cippo in craſtinum demandatur.

Cippum, dixit, non armarium aut loculos veſtiũ, vt aliqui accepère: non vt alij, palum iugo tranſuerſo, in quo ſuſpenduntur veſtes: ſed *preſſorium*, vt Ammianus Marcellinus vocat, lib. xxiix. *Solitæ*, inquit, *preſſoriis veſtes*, id eſt, in preſſoriis ſolitæ haberi, vt ſint catachſtæ, & vt tilijs ſiue tabulis ſua fides conſtet, ſiue ne tiliæ *exorbitent*. *Pondera & tormenta* nominat L. Seneca c. 1. lib. 1. De tranquill. Eáq; de re commemoraui ad c. 1. Preſſorium eiuſmodi, nunc Septimius *cippum* vocat, quia vt cippi pedum, ſic preſſoria veſtium, tormenta. Neque diſſimiliter ipſe mox dicturus, *Zonæ tormentum.*

Si quid interulæ ſupereſt.

Si tunicula, paullo eſt longiuſcula. Gloſſæ, *interula* χιτωνίσκος, id eſt *tunicula*. Neque tamen idem tunica & interula. Sed tunica ſub toga, interula ſub pallio, vtraque vel cum purpura ſiue clauata, vel pura, vt Trebellij Pollionis Claudio. Interula nempe, quia intra pallium. Interdũ tamen adhici-

tur quoque interula nomine tunicæ, vt Plautinæ Trinummi Sc. vlt. *Tunica propior pallio est.* Tunica nempe vel sub toga, eaque propriè tunica: vel sub pallio, eaque interula.

Vacat Zonæ tormentum.

Zona siue cingulo nihil opus. Quid ita? Quia pallium vsque ad calceos demittitur. Fabius c. vlt lib. xi. & historiam illam moui ad Q. Horatij Satyram ii. lib. i. Itaque pallio interula facilè tota tegitur, neque opus cinctura quæ subleuet: toga verò etiam ipsa olim ea longitudine, sed postmodo breuior fieri cœpta, ita *vt priore parte, medijs cruribus terminaretur*: posteriore, *eadem portione, altius quàm cinctura*, inquit Fabius loco eod. *Quàm cinctura*, id est, quam tunica. Tunicæ quia longiores erant, opus habebant zona siue *cinctu, quo*, vt Septimij verbis dicam ex c.i *arbitrante suspenderetur*. Et hoc ipso capite antequam toga sumatur, *tunica*, inquit, *prius cingulo corripitur, quam præstabat moderatiorem texuisse &c.*

Si quid calceatus inducitur.

Calceatus, commune nomen ad omnia pedum tegmina pertinens, siue calcei dicuntur, quicquid pedibus inducitur. Sic *excalceatus*, qui pedibus nudis. Martialis Epigr. xxiix. lib. xii. Et nunc, *calceatus*, qui soleis siue sandalijs indutus. Sed speciatim propriéque calcei Romanici, & togæ comites, vt antecessit: sandalia siue soleæ Græcanicæ, & comites pallij, vt etiam triuijs nota res. Sic Germanicus Cæsar C. Taciti Annali ii. *Pedibus intectis, & pari tum Græcis amictu*, id est, soleatus siue crepidatus

& palliatus. Signanter autem Florens noster dixit, *si quid calceatus inducitur &c.* Nam toga quidem sine calceis nunquam; pallium verò vel cum soleis, vel sine soleis, siue palliati & soleati, & prope pedibus nudis, vel prorsus nudipedes vt Diogenes, & reliqua Cynicorum familia, Dionis Chrysostomi Orat. vi. Philostrati epist. xxii. Qui quidem etiam edit Cratetis Thebani nomen, & adiungit Aiacem, & Achillem. Idemque iocosè Iasonem, quasi seminudipedem, siue pedibus ex semisse nudis. Et vrbanè adolescentulo mollicello, cuius pedes sandalia læserant, auctor est, vt ambulet deinceps prorsus ἀνυπόδητος.

Mundissimum opus est.

Mundissimum, inquiunt, *ab omni molitione.* Quasi calcei immundi, quia maioris molitionis: soleæ siue sandalia munda, quia minus ab arte. Refellit hoc Tertullianus antea ipse commentum, vbi distinctè, *calceos pedum tutelam* esse non solum *immundissimam*, sed etiam, *falsam. immundissimi* vocabulo, sudores pedum in calceis denotans: *falsi* vero artificium, quod repandi, siue *vncipedes*, quod exaggeratis calcaneis, & abeuntes à forma ipsa pedis, & simulantes quod non est,

Aut ped. nudi magis, certè viril. magis.

Non dixit, *nudi pedes*, sed, *nudi magis, quam in calceis.* Soleati enim superiore pedum parte, non inferiore nudi A. Gellius c. xx. lib. xiii. *soleis, plantarum calces tantum infimè tegi, cetera prope nuda, easque teretibus habenis vinctas esse &c.* Eadem res solea & sandalium. Glossæ Philoxeni *Solea* σανδάλιον. Sed

eadem σανδάλιον *Gallicula*. Falluntur in Gallicul
Nam Gallicula siue Gallicæ, calciamenta propr
Gallica. Sed vt exsertè loco citato A. Gellius, con
mune solearum & crepidarum nomen est, omn
bus ijs calciamentis conuenicns quibus sic pedo
vincti & tecti ex semisse. Idemque de sandalio di
potest. Sic ergo etiam Gallicæ, soleæ.

Quantum nomine concitasti.

Sic libri communes. *Hæc pro pallio interim, quan tum nomine concitasti &c.* Neque aliter M.SS. Te nebricosè tamen dictum est, atque vt in Satyra Refert se autem ad principium illud c. v. *Tamen* inquis, *à toga ad pallium &c.* Dicere vult. Hæc tibi, ô non Christiane, pro pallio dicta sunto, quantun siue quatenus, id paullo ante nomine concitasti si ue commouisti, cum diceres, *Tamen à toga ad pal lium*, quasi in ipso pallij nomine, multoque magi in re, aliquid probri esset, ac diceres. Tamen à t honesta ad turpem, aut dignationis certè minoris Adiunxit articulum, *interim*, nempe dum vt pallium ostendi esse expeditius toga, sic defendam etiam otium eius, siue ostendā otium eius, togę negotio melius esse. Hinc sequens illud. *Iam verò & de negotio prouocat*, nempe pallium togam.

Iam verò & de negotio prouocat.

Proferunt ex M·SS. *prouocas.* Sed ineptum est. Ait Septimius. Pallij nomen ac rem defendi: iam etiam ipsum prouocat togam de negotio, siue docebit, otium suum præstare togæ negotio. Itaque sequitur pallij aduersus togam προσωποποιία siue materiola. *Ego*, inquit pallium, *nihil foro &c.* Non

misceo me ciuilibus negotijs vt toga: sed vnicum mihi negotium est, vacare negotio, cura vnica, nihil curare, nisi ne curem. vnicum mihi negotium philosophari.

Nihil officio aduigilo.

Officio antelucano salutandi & deducendi in campum. Dixi de his officijs ad Q. Ciceronem de petit. Consul.

Cancellos non adoro.

Οὐ προσκυνῶ πάνυ τοῖς κιγκλίσιν, ἢ τοῖς ἀρχείοις. Non adoro archia, siue tabularia, la Chancellerie. Suidas. *Κιγκλιδάρχοι οἷς τὰ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο, ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις εἰσιτητὰ εἴη. Cinclidarij siue cancellarij, quib. archia siue tabularia, curæ, ne promiscuè omni volenti paterent.* Id est, Cinclidarij cancellorum custodes, siue cancellarij, quibus commissi cancelli archiorum, vt arcerent turbam. Archia siue *cancellos adorare* dixit, quia principis sunt aut Reipub. quorum maiestas, & quasi numen. Itaque adeuntur sollicitè, magnoque metu quasi loca sacra. Ergo etiam Virgilius lib. ii. Georg. inter beatos censet qui --- *nec ferrea iura, Insanúmque forum & populi tabularia vidit, &c.* cui non necesse adorare cancellos, siue archium. Ab istis, non autem iudiciorum cancellis, *cancellare, & cancellarius.*

Sed ignaua infamiq; scilicet patriæ.

Iterum delirè ex M. SS. *Sed ignauia infamatus &c.* Neque enim ad vllius hominis loquentis personam hoc refertur, sed vitam. Dixit pallium, suum otium præstabilius esse togæ negotiis. Ra-

tio. *Quia vita meliore magis in secessu fruare, quàm in promptu &c. In promptu*, id est, in publico & in negociis. Melior vita philosophantis in otio, quàm politici hominis, siue quemadmodum diceret Horatius, *mersantis se ciuilibus vndis*. Tum inducitur καθ' ὑποφορὰν toga, obiiciens. Non melior est vita illa, sed ignaua & infamis. Habent autem libri plerique omnes. *Sed ignauâ infamique scilicet patriæ & imperio reique publicæ viuendum est &c.* Manifestaria deprauatione. Sensus enim Tertulliani postulat. *Sed ignaua infamiq. Scilicet patriæ & imperio, reique publicæ viuendum est &c.* Ratio est quam toga dicit, cur philosophica vita ignaua & infamis. Quia *patriæ, & imperio, reique publicæ viuendum est.* Hanc rationem mox pallium κατ' ἀνθυποφορὰν sic refellit. *Errat olim ista sententia &c.*

Nemo alij nascitur.

Reperêre hic aliqui, *non quod pueri clamitant, in faba se reperisse*, sed versum. Sed pueri Midam reperiunt: hi nihil reperêre.

Certè cum Epicuros.

Argumentatio ex repugnantibus, cur Epicuros & Zenonas, siue Epicureos & Stoicos, qui tamen quietis magistri sunt, sine auertunt à Republ. & negotiis, sapientes tu toga vocas, mihi Christianorum pallio, vt probrum obiectas, quod sim alienum à negociis Reipublicæ? Pugnantia sunt. Christianorum pallio id vitio vertere, quod Epicureorum & Stoicorum pallio laudi esse velis.

Sapientes

Sapientes vocas totũ quietis magisterium.

Epicureos & Stoicos sapientes vocas & dilaudas tu toga, *totum quietis magisterium*, id est, qui omnes siue toti, magistri quietis sunt, siue otij à Republica. Protritum illud Epicuri decretum, *μὴ πολιτεύεσθαι*, vt Ciceroni epist. xii. lib. vii. ad familiares. Et Plutarchus tangit, lib. De animi tranquill. Etiam Stoicorum decretum, *Ἀπράγμονας εἶναι τοὺς σοφούς. Ἐκκλίνειν γὰρ τὸ καθῆκον. Otiosus esse sapientes. Nam eos declinare officium.* Laërtius in Zenone. Sed huic etiam contrarium ibi *δόγμα. πολιτεύεσθαι τὸν σοφὸν, ἂν μή τι κωλύῃ. Capessendam sapienti rempub. nisi quid vetet.*

Qui eam summæ atque vnicæ voluptatis nomine.

Summam atque vnicam voluptatem, dicit summum bonum, siue beatitudinem, quæ nec sine voluptate est, & quietis magis atque contemplationis, quàm actionis & negotij est. Eáque de re differui ad librum Aristotelis vltimum, De moribus ad Nicomachum.

Tamen propemodum.

Critica Dea iratissima correxêre aliqui, *tam & propemodum &c.* neutiquam hic, vt idétidem aliâs, peruisa mens Septimij est. Ea vero est huiusmodi. Rhetoricari pergit pallium, & postquam declamitauit, otium suum philosophicum & Christianum togæ negocio ciuico præstare, nunc quasi ex abundanti, argumentatur etiam se *propemodum*, siue quodammodo *in publicum*, siue publicè pro-

desse, *Soleo enim &c.*

Soleo enim de qualibet margine, vel ara.

Scripserat Septimius, *vel area. Soleo ego*, inquit pallium, *de qualibet margine vel area*, id est, de quouis loco eminente vel plano, *medicinas moribus dicere*, id est, vlcera & vulnera & morbos vitiorum sanare. *Margo*, est crepido. Glossæ *Margo*, & *Margos, κρηπίς. Margos*, pro margus. Perurbanè à Septimio inducitur pallium philosophicum, maximéque Christianum adserens, se de *quauis margine vel area*, quouis loco edito planóve, medicinas moribus dicere, quippini, vt Prætor, aut pro tribunali, aut de plano, sententias dicit. Aliâs verò etiã *Margus τραπέζιον τῶν ναυτῶν*. Glossæ. *Mensula nautarum*. Qui *aram* pro area hic vsurpatam, & antiquè aram esse aream scripsere, vellem auctorem aliquem sibi fundum fecissent. Nam quod aiunt Phœnicibus arham solum esse, nihil facit, nihilo magis quàm quod etiã Græcis ἔρα terra est. Quod autem Virgilij Aeneide I. versu illo,

Saxa vocant Itali medijs quæ in fluctibus aras,

intelligi *aras* volunt areas, & Seruium albis dentibus rident, qui aras federis interpretatus, facile refellero & reprellero illum risum: sed vereor ne longa iam nimis mea commentatio, & ista quasi lacinia pallio ipso longior sit.

Quam tuæ operæ.

Quam operæ tuæ ciuicæ, ô toga, siue quam officia tua ciuilia.

Quippe si pergam ad acuta tecum.

Ad acuta, ad gladios acutos, vt si diceret. Si desinam quasi rudibus batuere tecum, ô toga, & incipiam vorsis siue acutis gladijs tecum pugnare. Ouidius in arte sua siue Nequitia. *Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis. Vorsis gladijs*, Plautus dixit in Casina. Falluntur qui in Saturnalibus suis corrigunt, *veris gladijs*.

Atquin nullis vitijs adulor.

Pendet de antecedente illo. *Soleo de quauis margine vel area medicinas moribus dicere &c.* adiungit, contraque *nullis vitijs, nullis veternis parco*. Recte qui delent verbum, *adulor*.

Nulli impetigini adulor.

Impetigo quędam scabies sicca est, eoque nomine designat nunc Septimius, inaniter gloriorum & gloriantium loquacitatem. Sic Aurelius Prudentius hymno D. Laurentij cum scabie componit loquacitatem eorum, qui arcana dentium vallo continere nesciunt. Parasiti togati Romæ, & Carthagine, non palliati.

Qua M. Tullius quingentis milibus.

Narrat C. Plinius c. xv. lib. xiii. Sed in numero ibi erratum, *emta HS. decem*, pro *emta HS.* ıↄ. De Ciceronianis mensis etiam C. Plinius lib. eiusdem c. xvi. Tertullianus c. xv. libri de Anima. Notaui etiam olim ad Ciceronis Paradoxum V.

Ligneas maculas.

Maculas discolores &c. Copiose C. Plinius.

Idem qua lances centenarij ponderis.

Lego. *Hem qua lance lances centenarij ponderis Sylla molitur &c.* Quanta bilance opus ad eiusmodi lances. Ex iteratione nominis, factum vt librarij, quod priori loco erat, omitterent. Narrat historiam C. Plinius c. xi lib. xxxiii. *Hem*, autem vox irascentis. Res notissima.

Cum Drusillanus, equidem seruus Claudij.

C. Plinius inibi. *Drusillanus* Claudij seruus nomine *Rotundus*, *dispensator Hispaniæ &c.* Est verò, vt ante monui, *equidem*, *&* *quidem*.

Quinquagenariam promulsidem.

Promulsidem, dixit pro lance ad promulsidem, siue quemadmodum Petronius dixerit, lance, *quæ in promulside militet*. Aliud est *promulsidarium*, Vlpiani l. xix. De auro arg. leg. non lanx promulsidis, sed vas sustinens lancem illam.

Cui si officina exstructa est.

C. Plinius c. xi. lib. xxxiii.

Qua Vedius Pollio seruos murenis inuadendos.

L. Seneca c. xl. lib. iii. De ira. C. Plinius c. xxiii.

lib ix. Dio lib. liv. Peccant autem qui corrigunt, *mandendos. Inuadendos murenis* Septimius dixit, tanquam feris in arena inuadendōs.

Noua scilicet sæuitia delectatio.

Libri communes habent. *noua scilicet sæuitia delectatio, terrenæ bestiæ exedentulæ, & exunguis, & excornis: de piscibus placuit feras cogere &c.* Vidêre mendi aliquid subesse, itaque relegere adgressi aliqui, *noua scilicet sæuitia delectatus teneræ bestiæ &c.* Quemadmodum quidem etiam Septimius voluit. Alij correxêre, *nouâ scilicet sæuitiâ delectatio terrenæ bestiæ & edentulæ & exunguis, & excornis: de piscibus &c.* Et terrenam bestiam edentulam, exunguem, excornem, accipiunt Vedium illum Pollionem. Et ridiculissimè rationem dicunt, *quia homo animal terrenum, edentulum, exungue, excorne.* Dixeris, Atqui homini dentes & vngues. Respondent. Planè, sed non quales feris. Dixeris, homo bestia non est. Respondent. Sed Vedius Pollio ille, propter feritatem Tertulliano bestia est. Apage. Quis enim non videt hoc velle hunc Africanum rhetorem. Vedius Pollio murenis obiecit seruos inuadendos tanquam feris, quod delectaretur siue caperet voluptatem ex sæuitia murenarum, quæ teneræ bestiæ, & edentulæ & exungues & excornes. Vetus sæuitiæ delectatio est, cum leoni aut vrso qui dentibus aut vnguibus armati sunt, aut tauro qui cornibus, obijciuntur homines, vt in arena: Vedius noua sæuitiæ delectatione obijcere voluit bestijs teneris, edentulis, exunguibus, excornibus, murenis. Patet Tertulliani adclamatione sequente, *de piscibus placuit feras cogere &c.* vt in piscina id essent pisces,

quod feræ bestiæ in arena.

Sed, inquiunt, remora in hoc cursu illa vobis, quod murena edentula non est, vt produnt Physici. Non est edentula illa quidem, quod nullis dentibus sit planè, sed quia dentibus introrsum reconditis, neque aptis inuasioni. Itaq; conuenienter in hanc de Pollione historiam, murena edentula. Sed murenas Tertullianus accipit, mustelas siue lampetras, quæ de genere murenarum. Eaque de re Francisc. Massarius in C. Plinij c. xxiii. lib. ix. Et argumento sunt Dorionis verba, quæ ex libro eius de piscibus profert Athenæus lib. vii. Murenas autē pro mustelis siue lampetris dicere Tertullianus voluit, quia de lampetræ piscis nomine res controuersiarum inter physicos plenissima est. Itaque hanc litem suam facere veritus est.

De piscibus placuit feras cogere.

Deuij sunt qui accipiunt, *cogere, in viuaria colligere.*

Præcidam gulam.

Hæ periodi omnes. *Adigo cauterem ambitioni &c. Inmergo æquè scalpellum &c. Præcidam gulam &c. Dabo catharticum*, aliæque deinceps pallij declamationes sunt, vsque ad clausulam illam, *Sed ista pallium loquitur. &c.*

Qua Hortensius orator, primus pauum.

C. Plinius c. xx. lib. x. Ælian. de animal. c. xxi. lib. v. M. Varro apud Macrobium Saturnal. c. xiij. lib. vii.

Qua Aufidius Lurco.

C. Plinius c. xx. lib. x.

In adulterinum prouexit saporem.

Libri antea omnes habuêre, *in adulterium prouexit saporem &c.* donec cauterio critico factum est, *in adulterinum &c.* cum Septimius dicere voluerit, *saporem prouexit in adulterium*, id est, corruptelam & mangonium. Dicere potuit etiam adulterium saporem pro adulterino. A magister, magisterius; adulter, adulterius. Insolentius verò est quod Laberius apud A. Gellium c. vii. lib. xvi. *adulteritatem* pro adulterio dixit, & *adulterionem* pro adultero.

Qua Asinius Celer.

C. Plinius c. xvii. lib. ix.

VI HS. detulit.

C. Plinius, *octo milia.* Corrigunt ex Tertulliano Plinium, sed viceuersa ex C. Plinio rescribendus Satyricus hic Afer. Patet amplificatione C. Plinij, quæ inibi sequitur. At Q. Serenus Sammonicus apud Macrobium Saturnal. c. xv. lib. iii. hunc à Celere mullum ait emtum, *septenis millibus.* Verùm reuocandus hic etiam, opinor, ad C. Plinij calculum, vt narraui ad Q. Horatij Satyram ii. lib. ii.

Detulit verò intellige, de macello & præstinatione, domum tulit.

Qua Æsopus histrio ex auibus.

C Plinius c. li. lib. x. Aliquid aliquo modo si-

inile, de Arrijs fratribus Q. Horatius Satyra iii. lib. ii. De alia verò etiam Æsopi patina L. Seneca epist. xcv.

Patinam conflauit.

Alij, *patinam confiscauit &c.* Sed, *conflauit*, rectũ est, pro accruauit, cumulauit, impleuit, vt Ciceroni *conflare pecuniam, exercitum, manum.*

Qua filius eius.

Q. Horatius Satyra iii. lib. ii. & interpretes. C. Plinius c. xxxv. lib. ix.

Taceo Nerones & Apicios & Rufos.

De Nerone Apicioq; aut potius Apicijs notæ historiæ. Rufum accipiunt Cluuium, de quo C. Suetonius Neronis. c. xxi. Dio Xiphilini in Nerone. Sed de luxu Cluuij huiusce & gula, nihil in historiis. Fuêre qui *Rullos* reponerent, & acciperent de Seruilio Rullo, de quo C. Plinius c. li. lib. iix. Sed mihi non probant.

Impuritati Scauri.

L. Seneca c. xxxi. lib. iv. De benefic.

Et aleæ Curij.

Asconius in Orat. M. Tullij, in toga candida. Cicero ipse Philipp. v. & iix. Sed malè apud Ciceronem Philipp. v. est, *Manius Curius*, aut *M. Curius*, pro *Q. Curius*. Q. Curium esse patet C. Salustij Catilina, vbi adsiduè est *Q. Curius*. De eodem, Plutarchus in Cicerone. C. Suetonius Iulij c. xvii. Q. Cicero lib. De petit. Consul.

Et Vino-

Et vinolentiæ Antonij.

C. Plinius c. xxii. lib. xiv. M. Cicero Philipp. ii. Alij.

• *Sermone, inquis, me suasisti.*

Melius alij. *Sermone, inquit, me suasisti &c. Inquit,* nempe ille aliquis apud Euripidem. Sed ijdem minùs rectè, vt in versum redigerent, scripsêre. *Sermone*, inquit, me *suades medicamento sapientissimo.* Rectius est, *suasisti*, etiamsi versus esset, λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ. Ac neque rectè noui capitis initium hîc fecêre, cum lacinia sit parua, declamitantis pallij.

Nam & elingui philosophia.

Minùs rectè alij, *elingua*; vt neque rectè superiùs c. ii. *informa* scripsêre. Hic autem *elingui*, potiùs quàm *elingua*, vel soni vastioris fugiendi gratia.

Sic denique auditur philosophus, dum videtur.

Vt si diceret, pallium ipsum philosophi loquitur, siue, ego etiam philosopho tacente loquor, vt Ampelisca Plautina Rudente. *Sapienti ornatus, quid velim indicium facit &c.* Rationem ipse Tertullianus subiicit. *De occursu meo, vitia suffundo &c.* Ipso, inquit pallium adspectu meo, improbi erubescunt.

Viderit nunc philosophia quid prosit.

Melius alij. *Viderit nunc, philosophia quid prosit &c.*



Videris nunc tu ô toga. Μελέτω νῦν σοὶ ὦ τήβεννα. Tibi curæ sit, ô toga, quid tibi, id est, togatis Romanis aliisque non Christianis, prosit philosophia quam ego pallium tibi profiteor & commendo. Nam etsi ea tibi non prodesset, quia contemnis eam, ego tamen prosum, quia prodesse volui: tua culpa est, si non potui. Præterea tu videris an prosit tibi mea philosophia, & an ea tibi contemnenda sit. Nam ego quidem pallium, etiam sine philosophia nihilominus tibi prosum. Neque enim sola philosophia mecum est, id est, non soli philosophi palliati: sed habeo etiam artes alias *in publico* siue publicè vtiles, siue alij etiam palliati, sunt artifices, qui prosunt publicè, vt *primus informator literarum* siue grammatista, & *primus edomator vocis*, siue phonascus, & *primus numerorum arenarius*, siue calculator, siue calculo, & Grammaticus, & Rhetor Latinus, & Sophista siue qui Græcè rhetoricatur, & Medicus, & Poëta, & Musicus, *& qui stellarem contectat*, siue astrologus, & *qui volaticam spectat*, siue augur, οἰωνοσκόπος.

Et primus numerorum arenarius.

Cur dixit, *primus?* quia intelligi vult ludimagistrum docentem pueros calculare, qualis *Calculo* in epigr. vetere

indoctus teneram suscepit Calculo plebem &c.

D. Augustinus lib. ii. contra Academicos. *Librariorum & calculonum professio, velut quædam Grammaticæ infantia.* Hinc Horatij Satyra vi. lib. i. in ludum Flauij cunt

--- Pueri magnis è centurionibus orti,
Læuo suspensi loculos tabulámque lacerto,

--- *octonis referentes idibus æra &c.*

Iidémque calculatores in iure ciuili passim, & *tabularij* vt Vlpiani l. i. §. Ludi De extraord. cognit. *Iam & librariis, & notariis, & calculatoribus siue tabulariis &c.* His etiam extra ordinem ius dici, quia sunt, siue versantur *in literis vel notis &c.* ψηφισταὶ Modestinus vocat l. xv. de excusat. Est alius numerorum arenarius, quasi secundus, arithmeticus siue *numerarius*, Glossæ, Ἀριθμητικὸς *Numerarius.*

Et Rhetor & Sophista.

Rhetor qui Latinè docet Rhetorica: *Sophista*, qui Græcè, vt Modestini l. vi. § Grammatici. De excusat. vbi legendum διδασκάλους, σοφισταὶ, ῥήτορες. Sic l. iii. C. De stud. liberal. vrbis Romæ.

Et qui musicam pulsat.

Citharisticam dicit. Hunc autem præ aliis cantoribus & Musicis designat, quia citharistarum in certaminibus vestis, palla.

Et qui stellarem coniectat.

Astrologus, siue mathematicus. Signanter verò dictum illud, *coniectat.* Astrologia enim nihil aliud est, quàm coniectio quædam & diuinatio, gemina germana ὀνειροκριτικῆς siue *Somnisolutoriæ.*

Et qui volaticam spectat.

Interpretati aliqui astronomiam: alij Geometriam. Neutri satis ad scopum. Nam videri non potest, ita scholasticè ac minutatim Septimius noster seiungere voluisse, ac distrahere astrologiam & astronomiã, vt est Isidori c. xxvi. lib. iii. Quem-

admodum & verò etiam subtilius Cedrinus secernit ἀστρονομίαν, ἀστρολογίαν, ἀστροσκοπίαν, ἀεροσκοπίαν. Geometriam verò non designari, id argumento est, quod Romano ritu Geometræ, agrimensores, siue Gromatici, ijque ciues Romani ac togati in iudicio finium regundorum adhibiti. Ego si quid mei iudicij est, *eum qui volaticam spectat*, auspicem accipio, siue οἰωνοσκόπον. Is enim *spectat volaticam* ex auium inuolatu auspicium capiens. Auspices plerumque tunc Græculi Romæ, ideoque palliati, vt Iuuenalis Satyra iii. Græculus, Grammaticus, rhetor, augur, medicus &c. Et Satyra iv. *Diuitibus responsa dabit Phryx augur &c.*

Omnis liberalitas studiorum.

Hoc ita subiicit, quia de multis pauca posuit.

Quatuor meis angulis.

Vt ante c. 1. *pallij habitus quadrangulus &c.*

Planè post Romanos equites. Verum &c.

Sic libri communes. *quatuor meis angulis tegitur. Planè post Romanos equites. Verum & cerdones &c* Sed interpolate hunc etiam locum adgressi læua Critica. *quatuor meis angulis tegitur planè: post Romanos equites verò, & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur &c.* Ignaua relectio & prælectio illa. Rectè habet, quemadmodum vulgò editum est. Sic enim pallium differit κατ' πρόληψιν. Planè dices mihi, ô toga. Sic res est, ingenui illi artifices, vt dicis, palliati sunt, verùm adde, contemti quoque illi cum palliolis suis, & de infima plebe homines, & *post*, siue infra *Romanos equites.* Quid

tum postea? inquit pallium. Nam etiam tu, toga, infimam plebem vestis, siue etiam togatuli plera pars, post equites. Etenim etiam cerdones togati sunt, etiam gladiatores, qui edicto Prætoris infames, togati producuntur in harenam. Gladiatorum togas etiam Iulius Capitolinus tangit in Pertinace. Hi tamen etiam producti subinde tunicati. Vide sis Iustum Lipsium Saturnalibus c. xvii. lib. ii. Qui cum hac in parte scriptores pugnare censet, *omina tuta timet.* Nec verò illud C. Suetonij Claudio c. xxxiv. negocium ei facessere debuit, quasi arguens togas gladiatoribus insolitas, cum ait, *induxit vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatum &c.* Neque enim vt insolens illud notauit C. Suetonius, quod togatum induxit, sed quod, *nomenclatorem*, & quod, *sicut erat, togatum &c. Sicut erat,* nempe in toga ciuica & vrbana, non autem gladiatoria. Vt scenicæ, sic etiam gladiatoriæ siue arenariæ togæ differentes à ciuicis. Quæ cuiusmodi discretio esset, siue quemadmodum alia his atque alia species figuráque & materia, notaui ad Callistrati l. cxxvii De verborum signific. Et in Epistolam Valerij Martialis lib. ii.

Sed ista pallium loquitur.

Hactenus pallij προσωποποιηθέντος declamatio. nunc Tertullianus ipse prodit, & hanc Satyricam quasi scænam claudit.

At ego iam me illi.

Delent prouocabulum, *me*, tanquam de librariorum exerratione natum, ex vltima vocabuli antecedentis litera. Sed verius est Tertulliani stilo

fuisse. *At ego iam mecum illi &c.* & librarij festinatione, aut prætermissione omissâ partē vocabuli, *mecum.* Sententia enim est. Tu quidem, ô toga, omnes quas dixi, vtilitates pallio debes: at ego mea togæ pallio commutatione, ei & me ipse, & mecum etiam commercium sectæ ac disciplinæ Christianæ confero, siue, mecum, illud commercium ei confero, siue efficio, vt iam non modò illos vestiat, quos dixi, sed etiam quod nimium quãtum excellit, me Christianum, & meliori iam philosophiæ, nempe Christianæ, vtile sit. Explicat hoc ipse verbis vltimis. *Gaude pallium &c exsulta &c.* De cœno in cœlum abisti.

Sectam autem dixit, vt Apologetici c. v. & passim.

FINIS DEOQ. GLORIA.